DE BAPTISMO.

I.

mum Sacramentorum novae legis, ac reliquorum veluti janu
mus, quo in vitam spiritualem gignimur, et in Christo nasci
Christianae Religionis societatem ingredimur. Hujus Sacram
quam remotam appellant, est sola naturalis, seu elementaris
alsa sit, sive dulcis, sive fontis, sive stagni, sive frigida, s
madmodum nunc etiam a Graecis adhibetur. Id evincunt luc
um Scripturarum testimonia, quae perperam Calvinus ad n
detorquet sensum, cui perpetua et constans obstat omn
, vel ab ipso Apostolorum tempore descendens traditio e
m sua constet Baptismo virtus nihil interest sive immersio
ne, sive aspersione una vel trina ipse conferatur, modo ve
um expressa, et distincta trium personarum Sanctissimae
atione, ut Christus ipse praescripsit Discipulos suos sic
*tes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patr
piritus Sancti* (6).

II.

ptismum, nisi ejus vices suppleant aut votum cum carita
aut martyrium pro Christi nomine toleratum, omnino n
majori claritate Christus exprimere non potuit, quam ver
*renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest int
n Dei* (7); quae verba non Judaeos tantummodo respiciu
, sed omnes futuros homines cujuscumque fuerint status,
tionis, quemadmodum perpetua et constanti Ecclesiae
evincitur; nam Baptismus non tam est Christianae profe
n, quo fideles ab infidelibus secernantur; sed magis est n
mentum regenerationis, renovationis, et liberationis a pe
expers nascitur: proindeque nisi sacri ope lavacri (mart
to) quis mundetur, vitam consequi non potest beatam e

COMMENTARIA

IN PRAECIPUOS

HIPPOCRATIS APHORISMOS

COMMENTARIA

IN PRAECIPUOS

HIPPOCRATIS APHORISMOS

PATHOLOGICO-PRACTICA PRAECEPTA

COMPLECTENTIA

AUCTORE

JOANNE PETRO VASTAPANI

Amplissimi Medicorum Collegii Sodali, Regii Taurinensis Athenaei olim Professore, atque Regis Caroli Emanuelis Archiatri etc. etc.

Opus Posthumum *typis vulgatum anno* 1822
curante Amedaeo Testa *M. D.*
Ampliss. Medicor. Collegii Priore, ac Praeside.

AUGUSTAE TAURINORUM
EXCUDEBANT CHIRIO ET MINA
IN VIA PADI.

CAROLO FELICI

PRINCIPI OPTIMO PIISSIMO

SARDINIAE REGI

ETC. ETC. ETC.

Opusculum, quod Tibi, Genevensis tractus Duci, Principi omni virtutum genere cumulatissi-

mo, olim dicabat auctor Petrus Joannes Vastapani Levir meus amantissimus, hoc, Te REGE creato, Regio Stemmate ornatum typis vulgandum ipse curavi, non quidem ut Tuae praestantiae laudes commemorarem, REX munificentissime, praedicaremque Te optimarum disciplinarum patronum; sed tantum Tibi uno, ut auctoris, qui fuit memoriam, ut editoris, qui Te colit, studium benigno Tuo favore prosequaris. Te igitur oro, REX optime, ut, quoniam hoc tribuisti humanitati Tuae, ut Levirum meum Tuam

in clientelam susciperes, tribuas idem constantiae, ut me tuearis, ac foveas, meamque in praesenti opusculo edendo curam aequi, bonique habeas. Id si a benignitate, ac pietate Tua assequar, tum eximiae observantiae erga Te meae, tum meae curae amplissimum quidem, atque uberrimum fructum mihi comparasse arbitrabor. Vale, Rex Clementissime, Teque D. O. M. in Pedemontis nostri felicitatem, in Literarum augmentum, ac decus, in stabile Tuae gentis ornamentum sospitet perquam diutissime.

Haec sunt piissima vota, quae in fidei pignus Tibi precatur

Tui

Addictissimus, humillimus, obsequentissimus, ac fidelissimus Subditus et Servus

Amedaeus Testa

Ampliss. Medicorum Collegii Praeses ac Regens, Regiaeque Aulae Medicus ordinarius.

CAROLO FELICI JOSEPHO
MARIAE
SABAUDO PRINCIPI OPTIMO
GENEVENSIS TRACTUS DUCI
ETC. ETC. ETC.

PETRUS JOANNES VASTAPANI.

Quo aetatem meam ad decrepitudinem properantem fallerem, in Artis incrementum, speciatim

vero in studiosae juventutis utilitatem, aliquot abhinc annis, commentis illustrare coeperam praecipuos inter Hippocratis aphorismos, qui heu nimium! nunc negligi, aut flocci fieri consuescunt. Verum enim vero sive quia vires mihi jamjam septuagenario elanguerent: sive quia a placida studiorum quiete multiplices me distraherent aegrotantes, qui mea expostulabant consilia: sive quia Celso Moecenate carerer, qui forti, et valido mihi esset impulsui, quae ex parte solummodo exaraveram com-

mentaria ad optatum suum finem lentissime contendebant. Interim vetustam, celsamque Proavorum Tuorum sedem, ac patriam faustissimo omine repetis, Princeps Celsissime, dignatusque es ad Te revocare senem eum medicum, cui vel a Tua infantia ad firmam usque juventam pretiosissimae Tuae salutis (quam ut diu sospitet, demissus Aeviternum precor) cura a Parente Tuo optimo Regi pientissimo concredita fuerat. Collatum beneficium novas indit vires, quas omnes recoligo, ut absolutum tandem meliori sub

fortuna opus celsissimo tuo Nomini nuncupem.

Hoc permotus ego incitamento exorsa commentaria ita perficio, ut vix aliud ipsi videatur deesse, quam Tuae celsitudinis clementissimum patrocinium. Sine itaque, Princeps Celsissime, ut opusculum molis licet exiguae, maximum Tuis sub auspiciis evadat: sine, ut Tuo Nomini inscriptum audeat evulgari. Qui summo me amore prosequi semper dignatus es, Princeps Celsissime, an mihi deficies, dum grati, obsequentissimi animi hoccine qua-

lecumque tandem sit publicum pignus celsissimo Tuo Nomini audeo nuncupare? Munusculum equidem tibi offero, at gratissimus Principi clementissimo offero.

Quapropter a Tua animi celsitate animum et ipse resumens, hoc mei amoris, meaeque fidei testimonium benignissime exceptum iri confido, ac me totum supplicem, et addictissimum dico, commendo.

EDITOR
LECTORI BENEVOLO.

Cogitanti mihi consilium, quo Leviri amantissimi virtutes eximias, et vim ingenii, et doctrinae copiam, quoad decet, monstrarem, paratius nullum inveni, quam brevem, at sinceram vitae Viri optimi narrationem contexere, et typis vulgare. Hanc itaque pietatis ergo exaratam, operique Auctoris posthumo praemissam Tibi sisto, L. B., Te rogans, ut habeas ipsam ceu documentum grati animi, speciatim vero amoris, et amicitiae cum Auctore ad mortem usque sincerrime excultae. Vale.

VITAE

JO. PETRI MELCHIORIS VASTAPANI

M. D.

NARRATIUNCULA.

Joannes Petrus Melchior Vastapani natus in pago Ripa ad Cherium, die 24 octobris anno 1739, patre gaudebat Petro Francisco, tabellione publico, viro omni virtutum genere cumulatissimo: matre vero Maria Theresia Adelaide ex clara stirpe Gustapanis, gentis Cheriensis, quorum aliqui, nec non pater ejus, summa cum laude medicam artem quondam exercuere in vetustissima Cherio. Spectatissimorum parentum prima, et princeps cura fuit informare ad omnes virtutes animum, atque intellectum nati amantissimi, qui praeter

fratrem Ripae ad Cherium pharmacopolam, binas reliquit adhuc superstites sorores, fratris dilectissimi memoriam aeternum lugentes, alteram quidem celibatui addictam, alteram mihi scribenti felicissime nuptam.

Primis linguarum rudimentis prope parentes natali in pago edocebatur Joannes noster, ibique pater optimus Religionis nostrae sanctissimae doctrinam nato lectissimo tradebat, conjugem optimam, matronam vere piam, momentosissimo in negotio sibi adjutricem adjungens.

Properante aetate, ac commodum praebente proxima Cherio, puerum alendum, atque in Religione, et moribus regendum piissimo Sacerdoti D. Gribaudi: docendum praeceptoribus gymnasii Cheriensis tradidere parentes spectatissimi. Inter caeteros hujus

gymnasii magistros eminebat professoris Domini Vigo, et professoris Patris Regis fidelis industria, et singularis, nec omnibus concessa facilitas, qua teneris adolescentulorum animis ea instillare praecepta noverant, quibus ad altiores disciplinas cum fructu percipiendas praeparari debent. Atque horum inprimis virorum fideli institutione per triennium gavisus Joannes Petrus praeter pure, ornateque loquendi, et scribendi exercitia, per omnes etiam philosophiae partes deductus, mathematicis, et physicis disciplinis imbutus est.

Academiae ita idoneus factus, illud studiorum genus amplectendum sibi proposuit, quod haud minorem, quam quae Avus maternus obtinuerat, sibi laudem compararet. Dato itaque apud delectos viros eximii ingenii

specimine, adlectus cum fuisset, qui inter Regii Provincialium Collegii alumnos conscriberetur, Taurinum se transtulit, atque in amplissimas eas, ac Regia vere Majestate dignas aedes se abdens, Avi semper permotus exemplo, se usque gessit, ut Moderatoribus obsequium, aequalibus morum suavitas, inferioribus adfabilitas, denique omnibus, quibus cum versaretur dictorum factorumque constantia eum effecerit acceptum, et carum: Taurinum se transtulit scientiarum, et artium vetustissimam sedem, atque clarissimam, quamque tunc temporis physices, ac medicinae cultoribus cariorem, acceptissimamque faciebant Laurentii Bruno, Ignatii Somis, J. B. Carburi, Vitelliani Donati, Caroli Allioni, Nicolai Brovardi sollertia, doctrina, merita, nomen.

Audiit itaque Joannes Vastapani, audiit per quam diligentissime Laurentium Brunum summi ingenii, summique laboris Virum, quem nulla latebat ex viis, per quas humorum circuitus fit, quem intricatus non latebat nervorum labyrintus, ac subtilior demum incisio singularum partium, quibus ossa, musculi, tendines, glandulae, viscera, aliaeque omnes conspicuae corporis partes componuntur: atque ita noscebat, ut ire per omnia tutus valeret, omnesque corporis regiones plane haberet perspectas. Audiit in historia, ac theoria morborum Cl. Comitem Somis, Victorii Amedaei III Archiatrum prudentissimum, medica doctrina Sydenhamio, Baglivio: facundia, et orationis nitore Cornelio Celso, et Ciceroni, quorum et prudentiam, et inaffectatam elegantiam

mire jungebat, optimo jure aequiparandum. Audiit in morborum particularium praxi Joannem Carburi Cephalonensem, consumatissimum, ac variae eruditionis Medicum, vereque dignum, qui ab exteris ad docendi munus ad hanc nostram Academiam accerseretur ab ejus Restauratore Carolo Emanuele III Rege clementissimo: vere dignum, ut ipsi a docendi munere remittenti, datis Archiatri honoribus, atque muneribus, proprie salutis curam concredere minime dubitaret Maria Theresia Sabaudiae, Caroli Philippi Galliarum Comitis Atraebensis conjux amantissima. Audiit in materia medica, et botanica per biennium Vitellianum Donati Patavinum, professorem longe celeberrimum, iis in artibus, uti in universa historia naturali singulari laude florentissimum, qui

amplificandae, ac ulterius comprobandae doctrinae ita studuit, ut erudite susceptis peregrinationibus, et omnibus Adriatici littoribus curiose lustratis, ac quidquid utile obvenit sollerter lecto, ac considerato, optatissimos eos successus reportare valuerit, e quibus magnum illud ejusdem opus extat, Venetiis anno 1750 vulgatum, cujus titulus: *Saggio di storia naturale marina dell' Adriatico*: qui crebrius repetita generosissimi Regis Caroli Emanuelis invitationi satisfacturus, demandato ipsi docendi munere accepto, ac botanico horto mirifice primum aucto, novisque undique conquisitis stirpibus multo copiosius locupletato, cum Regio jussu Aegyptum profectus esset, inde rediens lethali morbo correptus, ac immaturo fato peremptus occubuit, maximumque omnibus botanices stu-

diosis, ac Taurinensi Academiae potissimum sui desiderium reliquit. Audiit per annum immortalem florae Pedemontanae auctorem Carolum ALLIONIUM (*), cujus et hodie penes Taurinenses colitur carissima memoria, cujus late per exteras gentes resonat clarissimum nomen ab opere memorato, ab aliis bene multis editis illustre factum, a suae pietatis fama amplificatum. Audiit demum in institutionibus medicis Cl. BROVARDUM, probatissimae doctrinae Virum, cujus physiologica rudimenta ea ingenii acie, et notionum suppellectile nitebant, quae par fuit

(*) De tanto Viro plura non dicam, cum Cl. olim Taurinensis Athaenei medicinae Professor, et amplissimi Medicorum Collegii sodalis, multarumque Academiarum socius Dr. Michael BUNIVA fuse ejus prosequatur laudes in opere publici juris facto anno 1816, cujus titulus: *Réflexions sur tous les ouvrages publiés et inédits du Docteur Charles* ALLIONI, *avec notices historiques concernans sa vie, etc.*

vel et ipsum Physiologorum facile principem HALLERUM ad quamdam literariam emulationem provocare, uti ex magno tanti Viri opere colligere est.

Totius artis curriculum, tantis utens Magistris, praeclare emensus Joannes noster, pervolutisque una diligenter melioris notae quosquos tam veteres, quam recentes Scriptores, ut multorum ita seculorum experientia se se instrueret, juvenis adhuc, anno scilicet 1762 fructus ingenii, industriaeque suae uberes reportavit, quum nondum vigesimum tertium aetatis annum natus, die 13 maii, praecone a Cl. Viro BROVARDO in plenissimo sapientum Virorum conventu primitus dicto, mox summis in medicina honoribus auctus est.

Laureo Doctoris serto ita redimitus, quo nemo extitit dignior, cum per-

suasum haberet Noster, bonum in rebus medicis magistrum esse experientiam, penitioresque medicinae recessus nonnisi ab eo aggredi, ac penetrari, qui regimen in praxi sumat a diuturna constanti, diligentique observatione, nullum invenit locum ad ejus tirocinium magis idoneum, quam publica nosocomia. Proprio itaque marte voluit in D. Joannis nosocomio praxeos pericula facere. Haec porro, ut ad hippocraticae doctrinae normam exigeret, omnes Hippocratis textus memoriae mandavit, memoriae mandatos simul componere studuit, compositos tandem ad aegrotantium curationem contulit, ratus nimirum cum Baglivio, in hoc totam praxeos sapientiam pro certo consistere. Dicta igitur ratione Hippocratem adhibens Joannes noster, vanisque quibusdam

doctrinis, et artibus a medicina prorsus alienis nunquam distractus, pene admirabilem in morborum exitu praedicendo, in iis feliciter curandis dexteritatem nactus est.

Firmissima ista praesidia, quibus munitus ad suae artis exercitationem accedebat Dr. Vastapani, tum mira ejus in diagnosi, a prognosi morborum statuendis sagacitas, ac veritas, cum summa, qua omnium in se figebat animos, affabilitas, morumque venustas, non potuerunt non illi aegrotantium fiduciam, pariter ac publicam benevolentiam facili negotio comparare. Compararunt sane; anno enim a Christo nato 1765, jubentibus, ac volentibus Rev.mis Canonicis nosocomii divi Joannis Rectoribus, Physici in eodem urbis nosocomio majori Vicarii honores reportavit. Dicto ampli-

ficatus honore potuit sexcentos morbos lectione pridem solummodo cognitos oculis suis perlustrare: potuit sedulus in eorumdem caussas inquirere: veram medendi rationem assequi: germanum remediorum agendi modum dignoscere, ac definire: potuit Cl. Professoribus, quibus unis totum aegrotantium regimen, et curatio dicto in nosocomio tunc concredita erant, non minus quam Conlega amantissimo Joanne Antonio Costa, amplissimi medicorum collegii Sodali, carcerum publicorum medico primario, et practico nostra in Metropoli commendatissimo familiariter uti: potuit demum jam praeconceptam de se sententiam ita penes summos collegii medicorum Sodales augere, ut dein anno 1767 die 29 decembris amplissimo Horum collegio aggregaretur.

Multis porro nominibus, nimirum ut physicus eximius, ut anatomicus, et physiologus sollertissimus, ut naturalis historiae, ac materiei medicae cultor studiosissimus, ut pathologus sagacissimus, demum ut clinicus oculatissimus, qui illustri huic adscriberetur sodalitio, quod nunquam malae artes, partiumque studia perpullerunt, ut viros suppellectile tantum, non scientia morborum instructos, in aliquo apud se numero paterentur, promeruit, sicuti eruditissimae publici tunc juris factae dissertationes, eleganti, purissimo, ac disertissimo stylo exaratae, *de principiis metallorum*, *de tela cellulosa*, *de humoribus cutaneis*, *de mercurii administratione*, *de lue venerea*, *ejusque curatione*, eximiam ipsius dictis in disciplinis peritiam ultro ostendentes, plenissime evincunt.

Arnulfo Praeside, Viro doctissimo, qui tantam crebro, et felici artis exercitio famam consecutus erat, ut, remittente a docendi magisterio Cl. Carburi, theoriae Professor ab invicto Rege juberetur, Vastapani noster in Medicorum Conlegium cooptatum se gavisus est. Qua ex cooptatione, dum copia ipsi facta est ostendendi qua ingenii vi donaretur, quantaque ditaretur notionum suppellectile, hanc et sibi perhonorificam laudem vindicavit, ut scilicet in adeo florenti summorum ingeniorum coetu reliquis eminere videretur, uti eminuisse Joannem nostrum exploratissimum est.

Quum itaque tum publicis in periculis, ut alienae doctrinae judex disputando, omnibus commilitonibus industriam suam comprobasset: eam vero aegrotantium ad lectulos palam os-

tendisset, non pauci suos inter amicos rogabant, ut se particeps redderet domesticarum exercitationum, in quibus exarandis theoriae dogmata cum clinicis observationibus comparans, artis incremento non parum studebat. Iteratis permotus incitamentis hoc in perficiendo opere totum se abdidit, ratus vel magis isto studio plurimum suis concivibus, sibique profuturum. Florebant tunc in praxeos exercitio singulari laude Archiater Ignatius Somis in Regia Academia praxim legens, et Nicolaus Brovardi institutiones medicas docens: florebat Benedictus Felix Ranzone amplissimi medicorum collegii Sodalis, studiis medicis, quum iisdem operam dabat Noster, in Regio Provincialium Collegio Praefectus, dein Professor emeritus, atque Archiater a consiliis. Se igitur

omni officiorum genere in amicitiam tantorum Virorum, quum insinuare noverit VASTAPANI praegrandia emolumenta ex domesticis, et quotidianis Cl.rum, omnique ex parte commendatissimorum Professorum colloquiis percepit. Ita sermones cum tantis Viris quotidie commiscendo, ita quotidie elucubrando grandior in dies factus, aptus evasit, qui ad stylum secederet *animadversiones de china-china in synochis putribus*. Quum nempe cum Christiano Gottlieb LUDWIGIO reputasset animo, in medendo non sufficere praesentia mala avertere, sed dispiciendum omnino esse, an forte fortuna, quae inde emergunt, pejora sint: id vero nonnisi ex diligentiori morborum particularium dijudicatione patere; observans una chinae-chinae usum amplissimum, et summe efficacem a

quamplurimis praedicari in synochis vulgo, sed improprie *putridis* dictis, quin imo penes multos ferme unicum, eximium, ac tutissimum remedium peruvianum corticem esse, licet mitius de hujus antiseptica vi judicium alios ferre cognosceret: ne officia, et vitae rationem, quae societati debebat, negligere videretur, observationes, quas sibi datum fuerat colligere tum in nosocomio Divi Joannis Baptistae, ac Civitatis, cum in epidemicis constitutionibus Taurinensibus, Cuneensi, Strambini, et alibi, publici juris facere decrevit, et fecit, anno 1779. Quo in cudendo opere, dum modestissime Auctor exoptat, ne quis sit, qui eum credat, haec meditantem, novitatis libidine ductum vanae gloriae litare, aut eum se esse, qui certum audeat judicium in re minus certa inter-

ponere, vel assensum negare observationibus, quas in aureis Cl. Virorum codicibus scriptas invenit: dum profitetur id tantum secum constituisse, ut quae observaverit per longam exemplorum seriem candide, ac modeste referret, totumque, quod ferendum fuerit judicium, id totum penes aequos rerum aestimatores reliquisse; nihil prius habuit in consilio, quam suo saeculo prodesse, et laborantibus opem ferre. Id assecuturus in hoc maxime studium, atque operam suam videtur posuisse, ut ea, quae ad morbi genium, et ad corticis peruviani utilitates, et damna pertinent et accurate ipse investigaret, et aliis diserte, distincteque exponeret. In chinae-chinae igitur principia, analytica methodo juxta Geoffroy, Neumann, Charteuserum tentatae, primo inquirere ad-

gressus est: demonstrat dein a sanis physiologiae legibus recedere nomen febris putridae impositum synocho, putri improprie vocato: in ea postea animadvertit, quae in supra memoratis constitutionibus notata sunt: ratiocinio, auctoritate, et experientia fretus ostendit corticem peruvianum, ut hisce in epidemiis damni fuit, ita generatim damni esse in synocho putri: eorum refellit sententiam, qui pro corticis usu pugnant, ductis etiam a cadaverum sectione argumentis: caussas, ob quas Huxham, et Torti a synochis putridis eumdem excludant, exponit: tradit Baglivium in cortice peruviano praescribendo summe cautum fuisse: quid senserit erga corticem Ballonius perpendit, perpendit una sententiam Werlhophii, atque Morgagnii: quo consilio a cortice abstinen-

dum esse doceat Hoffmannus exponit: ad trutinam revocat momenta contra chinam-chinam proposita a Tissot, adhaerente vestigiis Valcharenghi: corticem peruvianum ceu specificum in synochis putribus non admittere Haenium, Hoffmannum, Mortonum, probat: quando corticis usus conferat, quando damni sit patefacit: docetque novitatum libidinem, praeoccupatam opinionem, non intellectam funditus Auctorum mentem, ac demum sepositam medicinam rationalem, et observationem in caussa esse, cur tot errores in cortice ministrando committantur.

Quas ut animadversiones confirmet, fasciculum historiarum subjicit, e quibus evidenter colligitur: 1.° tuto exhiberi posse corticem peruvianum in synochis putribus, si diuturna re-

missio sit, et nulla adsint inflammationis indicia: 2.° quum periodica adest accessio cum vitae periculo aegros adfligens: 3.° nunquam esse dandum in morbi acuti principio, augmento, et statu, multoque minus si coctionis signa appareant: 4.° turgentibus a plethora vasis, acri vigente calore, facie turgida, respiratione gravi, tussi molesta, religiose ab ejus usu esse cavendum: 5.° valde esse pertimescendam chinam-chinam turgente in primis viis materie, et elato abdomine existente, ac hypochondriis tensis: 6.° abstinendum, si synocho putri nubant scorbutus, rheumatismus, scrophulae, syphilis: 7.° chinam-chinam nuptam corroborantibus, et stypticis aptari, si inter synochi putris conjuncta occurrant haemorrhagiae, et solidorum summa debilitas: 8.° de-

mum admodum profuturum, quoties omnimoda facta praegressa synochi putris judicatione, superstiti debilitati occurrendum est.

Hujuscemodi ex opere, cujus stylus ita perspicuus est, ut neminem torqueat, ita purus, ut neminem nisi paullo delicatiorem offendat, hunc habuit fructum Joannes noster, quod sexcentos aegrotos inspiciendo, et mali originem, penitioremque naturam scrutando, ac remedii effectus observando, ac consignando artis peritiam insigniter augeret, atque in dies pluribus per optatos rectorum consiliorum successus innotesceret, commendaretur.

Magni tunc eumdem facere coeperunt illustrioris originis homines, qui ejus saepe efflagitabant consilia, ubi medico quopiam egerent praesidio;

quin imo ut suam, suorumque valetudinem liberius gereret, annuis eum stipendiis obligabant. Quum vero iis ita inserviret, ut omni spreta ostentatione, ac vaniloquentia, omnibusque despectis assentatiunculis, solis ingenii, eruditionis, et experientiae subsidiis tum praemonendo, tum consulendo, tum demum medendo, industriam omnem suam, suumque valetudinis, ac vitae servandae studium praemonstraret, cito adeo cunctos sua nominis celebritate perstrinxit, ut tutissimam inde viam ad commendationem, et opes sibi quaesierit.

Neque hisce concludebatur limitibus secunda Vastapani nostri fortuna, sed dexteritatem artis quotidiano usu auctam comes premebat; curante enim Ill.mo Comite Ferrerio a Marmora Magno Regiae domui Praefecto,

anno 1784 perhonorificum Medici Aulici titulum cum adnexis honoribus, atque salariis lucratus est.

Omnibus ad votum sic procedentibus, universae rei literariae Moderatores, qui Nostrum eo ingenio natum noverant, ut nullo vellet vitio suam virtutem labefactari, quippe liberalissimi literarum fautores, praeclarum in literis Virum Regi Clementissimo eum in modum commendarunt, ut perhonorificentissimo Professoris honorarii titulo, anno 1787 eumdem Rex insigniret. Novus honos, novas, si fieri potuisset, addidisset vires Viro, quo nemo extitit unquam in rebus medicinam spectantibus curiosior, nemo in judicando acrior, in agendo praesentior; eum namque ita excitavit, ut diu noctuque pensitabundo, et anxio animo suum maxime studium, operamque

suam omnem poneret in perquirendo naturae methodo, qua morbos amoliri nititur, quo ita tutior adjutrices suas porrigeret manus, hominumque miseriis certior subveniret. Quae quum ita sint, satius esse ducens medicum, quam philosophum agere, in idque solum sollicitus, ut quid natura faciat, aut ferat cognosceret, minutissima quaeque morborum phaenomena plane, et rite enumerare, et remedia, quibus unusquisque morbus facilius cedat, candido, et sincero animo semper proponere studuit, novos sibi honores conciliaturus. Nec spem fefellit eventus, anno enim 1790 in Proto-jatrorum albo extra ordinem conscriptus est.

Quum itaque Vir hic eximius sive ob summam selectae eruditionis laudem, sive ob felicissimum artis usum

in dies magis magisque inclaresceret, eximia ejus medicam in artem merita Principibus Viris certo certius tandem cognita fuere, atque explorata. Hinc factum est, ut anno 1793 nova, eaque insignissima dignitate augeretur, quum Serenissimus Rex VICTORIUS AMEDAEUS III Archiatrum suum eumdem constituit, et perhonorificum ipsi stipendium assignavit. Quanto ne, quam justo commoveri debuit gaudio Joannes noster, quum suae laudi cumulum ex tanta Regis munificentia accedere sentiret, quum munus ita arduum, ita honoris plenum ei ultro delatum esse cognosceret? Nihil illi gratius, illustrius nihil ipsi accidere potuisse, quam quod Rex pariter, atque Regina in sua, vel in Regiae prolis valetudine tuenda, et restituenda uno ejus consilio voluerint

uti, neminem futurum opinor, qui vel audeat in dubium revocare.

Ut vero Rex generosissimus palam ostenderet, quanta jam ipsum gratia complecteretur, vel proximo sequenti anno eumdem suarum copiarum, de quarum salute erat valde sollicitus, Medicum generalem Vicarium nominavit.

Nec silentio erit praetereundum tot inter studia, atque labores, tantamque inter felicem, et occupatissimam praxim nihil unquam eorum Vastapani neglexisse, quae perquam apertissime ostenderent, quam vehementi artis suae promovendae studio flagraret. Non solum enim Collegii medicorum Prior, ac Praeses anno 1796 creatus omni officiorum genere ad studia rite excolenda juvenes discendi cupidos incitabat; sed et Me-

dicinae practicae Professor publicus in Regio Archigymnasio ab invicto Rege eodem anno constitutus, nihil antiquius habuit, quam eam publice docendi rationem inire, qua auditores suos theoreticis principiis jam optime instructos, germanis medendi scientiae dogmatibus, et certis praxeos regulis imbueret. Quod ut assequi valeret, non oretenus commentando, sed scriptis hippocratica doctrina refertis, verum remotarum, et proximarum caussarum genium monstrantibus, contracto, sed eleganti, et perspicuo stylo exaratis curandi methodum exposuit, et candide docuit. Quum scilicet mature Noster cognovisset inter medentes graviter inprimis esse reprehendendos, qui nova systemata factitant consentaneis potius ratiociniis, quam certa scientia,

et probata curandi methodo innitentes; contra vero certum esse iter, quod sequantur, qui multum experiendo confirmantur, in experiendo autem ratione praeeunte duci se sinunt, ut eventuum caussas rite eruere valeant, prima, et praecipua cura illico eum distinuit, ut de omnibus, quae ad muneris suscepti rationes pertinebant provide dispiceret. Exaravit itaque commentarios in praecipuos Hippocratis aphorismos, quos suos discipulos docebat; dignum profecto argumentum, in quo Vir arte, et facundia adeo insignis pro virili elaboraret. Probabat autem medicinae sive docendae, sive faciendae rationem hisce veluti firmissimo cardini innixam, eam unam esse, quae certas illas regulas pandat, quarum ope singula quaeque sive ad sanum, sive ad aegrotantem

hominem pertineant, rite digeri queunt, ut recta inde, tutaque medendi methodus instituatur. Si enim, ut laudatus contendit BAGLIVIUS, in HIPPOCRATIS textibus rite digerendis, et opportune ad varia aegrotantium adjuncta aptandis tota praxeos sapientia reposita est, quid utilius unquam excogitare, aut agere poterat in studiosorum utilitatem VASTAPANI noster, quam Hippocratica praecepta explanando, eorum animos ad magni Senis doctrinam ita informare, ut tandem sapientes clinici evaderent? Nihil autem memorabile se facturum reputaverat, nisi omnia ad praxeos, artisque augmentum collinearent. Quid porro hisce in exarandis commentariis praestiterit, summatim percurramus: praemonitis itaque vel in operis limine studiosis, ne illorum illecebris se decipi

sinant, qui novis vocabulorum formulis, et ementitis coloribus novam medendi methodum intrudere conantur, quippe qui factis prava saepe conscientia in suam sententiam deductis aegrotantium mortem praetendunt, hippocraticos fontes delibat, a quibus tutae, rectaeque medendi rationis signa hauriri possunt. Quapropter commentaturus primum Hippocratis aphorismum, postquam demonstravit, cur vitam brevem esse, artem longam tradat magnus Senex, judicii difficultatem ut ostendat, in principes humani corporis functiones inquirit, hincque fontes monstrat, e quibus morborum diagnosis, et prognosis fluunt: demum de aegrotantium inspectione, et sciscitatione agit, quo elucescat, quae facienda a medico sint, ab aegro, vel et ab adstantibus ipsis. His delibatis,

commentis illustrat, quae docet Hippocrates in aphorismo vigesimo, sectionis primae, quippe quia ex hoc eruantur consilia, quae cautum, prudentemque reddere debent medicum in remediorum administratione. Quum autem remedia tuto porrigi nequeant, nisi morbo judicando conducant; hinc, ut proposita consequi utilitas queat, animadversiones recenset, quae habendae sunt in signa judicationum incipientium, et illarum, quas *absolutas* Practici appellant; calculumque erga metastases adjicit, observans his unis probe perspectis tuto solum erui indicationes, quibus satisfaciendum est, ne naturae opus pervertatur, et morbus curetur. Atque licet sciat aliquot esse crisium osores, eas tamen vult admittendas, ac quotidiana fretus experientia earum

signa enumerat, fontes e quibus petuntur percenset, diesque memorat, in quibus praecipue contingere solent. Dein, dum commentatur vigesimum primum aphorismum libri primi, agit de modo, quo Medicus se gerere debeat in evacuationibus. Ibi postquam docuit evacuationes criticas a symptomaticis esse distinguendas, eas esse sinendas, has cohibendas, observat, ut medicus vere possit deliberare, num quo natura vergit, eo ducere oporteat, multi interesse prudentem animadversionem in morbi genium, hujusce stadium, ac quantitatem excretorum; namque, ut dudum docuit divus Senex: *si qualia purgari oportet, purgentur, confert, et facile ferunt, si contra difficulter.*

Ex traditis facilem sibi viam parat Auctor, ad illustrandum aphorismum

vigesimum secundum libri primi. Quod dum efficit, demonstrat nonnisi cocta esse opportune evacuanda, vel et interdum turgentia; ut vero in mentem Hippocratis intimius se insinuet, practicas aliquot prosequitur considerationes observatione, et experientia suffultas, expenditque quid *cocti*, quid *crudi* nomine veniat, quibus signis crudum se prodat, quibusque *turgens* significetur. Post haec, ostensurus cum Hippocrate, *quod primum est in inventione*, *ultimum esse debere in curatione*, affirmat hanc cognitionem per signa comparari, quae a Pathologis morbi *conjuncta*, vel *symptomata* nominantur. Tradita istorum distinctione, docet horum non esse instituendam curationem; sed ad caussae, e qua oriuntur, emendationem consilia fore dirigenda, iis exceptis

casibus, in quibus per methodum *extraordinariam* dictam, urgentioribus succurrendum est. Quum autem in sexto praecepto sibi proposuerit ostendere: *secundum rationem facienti, etsi secundum rationem non eveniant, non esse transeundum ad aliud, manente eo, quod visum ab initio est*; postquam sedulam inculcavit, et nunquam satis laudandam attentionem erga caussam morbi proximam, proëgumenas, occasionales, symptomata, naturae motus, ut probabiliores saltem notiones elici possint, quae ad remedia non nocitura determinent, exempla in medium adducit, quae ostendunt ab iis non esse recedendum, donec, quod ab initio visum est, faciem non mutaverit. Quod licet verum affirmet, aeque verum esse animadvertit dari saepe casus,

in quibus, quod melius, et crebrius utile prolatum est non constat; tunc vero generali medendi methodo vult esse acquiescendum.

Commentaturus in septimo praecepto legem hippocraticam, qua *tuto*, *cito*, *jucunde* curandum esse praecipit, scite observat, non solum ex parte remedii, quod efficax sit, quaerendam esse securitatem; sed saepe opportunitatem ipsi admovendi tutiori indicationi magis conferre, quam ejusdem efficaciam, quod quidem apto ratiocinio, et observationibus confirmat. Insuper ut tuta ratione remediorum morborum curatio suscipiatur, horum excessui, vel defectui esse prospiciendum observat, eumque cito curare tradit, qui habita caussae morbi, et coctionis ratione movet, et cito naturae, si vali-

da est, succurrit : nihil innovat, quum judicatur, aut judicata est, sed sinit. Unde efficit prudentem esse debere in medendo celeritatem : copiam remediorum celeritati opponi: ubi utile inventum sit remedium, huic esse adhaerendum, neque ad aliud, nisi nova occurrente indicatione, transeundum; jucunde vero curare medicum opinatur , qui remedia, et diaetam morbo apta deligere sciat, et apta dosi eadem porrigat.

Naturam esse morborum medicatricem, medicum naturae ministrum ostensurus in octavo praecepto, quaestionibus flocci factis, quae erga naturam passim exagitatae fuerunt, reputans ipse naturam, et vires medicatrices idem, et unum esse, harum in morbis influxum ad trutinam revocat; dein vero considerans varia ratione

eas esse in morbis spectandas, utrum scilicet multum detrimenti coeperint, et quo modo: an ex sola appositione similium erigi possint: an detractione indigeant: an hisce conservandis sufficiat caussae consideratio, cum Gaubio contendit, hanc esse regiam curandi viam, doletque eam inanibus, noxiis, intempestivis praesidiis turbatam, abruptam. Iis postea traditis, quae medicum esse naturae ministrum ostendunt, ad ea explananda manum admovet, consiliumque, quae demonstrent revera quidquid in aegro deprehenditur sui conservationem semper requirere, quod noni praecepti subjectum est.

Ad rem animadvertit cum Baglivio, pessimum esse morem illorum, qui a principio ad finem morbi remediis omnigenis intempestive adhi-

bitis aegros conficiunt. Quamobrem rectius illos agere reputat, qui naturae institutum prius considerant, dein opportuna artis praesidia prudenter praescribunt; quod quidem multis in medium adductis rationum momentis verum esse demonstrat.

Tandem ostensurus in decimo praecepto, contraria contrariis esse curanda, similia similibus conservanda, adnotat ante omnia errorem facile posse subrepere, si vocabulo tenus haec doctrina hippocratica interpretetur; saepe enim fieri observat, ut in usum vocentur remedia, quae prima fronte morbo potius favere, quam adversari creduntur, quae tamen contraria sunt, quod exemplis confirmat. Ut vero contrariorum necessitas evidentior pateat, in caussas morborum inquirendum

esse tradit. Hoc autem instituit examen praecipuis caussarum differentiis primitus enucleatis. Examine exanthlato, tuto contrariis eum curare affirmat, qui unam esse naturam, hanc vero medicum exposcere obsequentem probe sciat. Quod quidem evincit expensis adamussim vitiis partium similarium, et organicarum, et contrariis indicatis praesidiis, quae iis tollendis paria deprehensa sunt.

Commentationibus ita optimum ad finem deductis, coronidis loco quaedam adjicit monita perutilia, ut tutius in aegrotantium utilitatem ars medica exerceatur. Monet ergo in primis medentem de caussa morbi sollicitum esse debere, non de symptomatibus: stadium morbi multi esse faciendum, ne errores in cura symptomatum inconsulto committantur:

monet inter caussas, quae arti adversantur nimiam in praescribendo facilitatem, remediorum farraginem, studium, et improvidum usum specificorum esse ponenda: suadet saepe expectationem festinationi esse utiliorem: assuetudinis imperium ad calculum in morborum curatione semper esse ducendum docet, videndumque quid natura ferat, aut velit: monet simplicia remedia, ubi fieri potest, compositis esse anteponenda: cautissime vult agendum esse cum sanguinis missionibus, purgantibus, emeticis, similibus: atque ut longe absit praejudicata opinio, atque systemata praecipit, aliaque similia plurima, quorum accuratam notitiam ille assequetur, quicumque Auctorem adire velit, et amet.

Sparta sua ita splendide emetita,

atque academico opere eleganter exarato, strenue enitebatur Noster, non solum ut saluberrimis imbueret doctrinis juvenes, qui studii medici ergo ad ipsum confluebant; verum etiam ut aliis publice habitis elucubrationibus famam industriae suae iterum iterumque adaugeret. Quae conamenta, quum latere haud potuerint Majestatem Regis, ac Domini clementissimi, cujus inter curas patre patriae vere dignas, illa vel maxime referenda, ut, qui utiles doctrinas propagant, virosque formant saluti tuendae idoneos probe cognosceret, cognitosque exornaret: quandoquidem cum coeteris sapientiae partibus, illam praecipue aestimaret, unde pleniorem hominis cognitionem nanciscimur, illud necessario consecutum est, quod saepe antea visum

erat, ut scilicet, dato Regio diplomate, eodem anno 1796 Magistratus protojatrorum Consiliarium Vastapani designatum Rex clementissimus voluerit.

Benignissimam hanc Regis voluntatem, dum summo esse debuisse praesidio, atque solatio Joanni nostro neminem fugit, neminem et latere debet eam ipsam effecisse, ut ipsius fidei plurimum tribuere, et peritiae longo annorum usu susceptae quammaxime confidere coeperint Josephina Theresia Sabaudiae Carinianorum Princeps foemina, exquisita rerum, et hominum judex, literarumque fautrix, et Serenissimus Princeps Carolus Emanuel Sabaudiae ejus filius, qui Nostrum, ob merita, Poliatri a consiliis dignitate munificentissime propterea ornavit, ac frequenti ejus consilio dein usus est.

Anno proxime sequenti 1797, quum castra hac illac posita, et castrensia nosocomia aegrotantibus militibus referta amantissimi Regis animum adverterent, militum saluti consulturus Rex optimus, VASTAPANI nostrum Medicum castrensem primarium dixit, sicque eam ipsi amplificavit provinciam, ad quam rite obeundam, salutis suae saepissime immemor, plurimum laboris jam per triennium impenderat. Quum vero eximie conferat ad fastigium arti imponendum varios homines vel iisdem, vel diversis morbis variis e caussis laborantes saepe visitare, quumque nullibi melius, quam castrensibus in nosocomiis id consequi possit, ubi nimirum ingens aegrorum numerus sexcentis de caussis sexcentis morbis quotidie conflictatur; nullo negotio hinc patet, cur

Noster novo conlato honorificentissimo muneri pro dignitate satisfacturus, cunctis castrensibus nosocomiis, militibusque decumbentibus sedulo inspectis, Taurinum redux, nova, eaque vividiori doctrinae luce corruscaverit: cur non Regi tantum, ac illustrioribus quibusque Viris, sed et cunctis societatis coetubus ob grandia sapientiae, ac pietatis monumenta sua in medica inspectione statuta, carior adhuc, omnibusque acceptissimus evaserit.

Cunctis ita ex auspicato evenientibus, honoribusque citatis ad fortunatam senectam procedente Vastapani nostro, per temporum iniquitatem infauste contigit, ut Rex optimus, Regiique nostri Principes ex avita regione abriperentur. Sed cur conglutinatum secunda fortuna vulnus re-

fricatum eo? Ad rem nostram memorasse sufficiat, sicuti omnibus, qui intentius naturae contemplationi, et investigationi se dedunt, ita Nostro evenisse, ut corporis sui robur inquieta cogitatione, nocturnisque vigiliis minueret, et gravi pectoris catarrho, senilem phthisim minante, detineretur. Quare itinere suscipiendo impar tum ob minus firmam valetudinem, tum ob alias satis urgentes rationes, Regem submisse deprecabatur, ut suscipiendae peregrinationi parceret; huic vero desiderio adnuere Rex clementissimus dignatus est.

Quapropter ab isto tempore suae valetudini parumper consulere coepit Noster, quin tamen a praxeos exercitio vel minimum remitteret; innumeri namque memorari possent, vel in hac urbe, vel peregre degen-

tes, quibus suam contulit operam, ut morbis, quibus angebantur, mederetur. Ita sibi prospiciens, aliis et adjumento fuit, qui ideo eumdem post Deum spectabant ut suae vitae, atque valetudinis statorem, conservatoremque sollertissimum.

Tametsi novum vitae genus labantem Nostri salutem plurimum confirmasset; nihilo tamen secius ipsi tutius consulturus, Gallici tunc imperii principem urbem, liberalium, caeterarumque artium sedem amplissimam, Civitatem hominum quavis in disciplina clarissimorum feracissimam, monumenta artium ab universa Europa comparata, pathologica, et naturalis historiae musea, anatomica theatra, botanicos hortos, et quotquot genera subsidiorum, quibus abunde ars medica locupletari queat suo in sinu con-

cludentem, Lutetiam nempe Parisiorum profectus est, ibique ad plures menses morari concupivit, ut magnifica, et utilia quaeque oculis perlustraretur, ut Medicis illa in urbe celeberrimis, quorum nomina, et scripta jam noverat, Corvisard, Fourcroy, Petit-Radet, Pinel, Alibert, aliisque familiariter uteretur, sicuti revera usus est.

Non ideo mirum, si Taurinum reversus majori animi vigore in artis exercitio perrexit: si vitae rationem commode, honesteque institutam graviter secutus sit: si liberato jam Regno, Rege Victorio Emanuele, ac Fratre Carolo Felici, atque universa Regia Domo nobis, favente Numine, restitutis, pulcherrimam illam laudem capessere studens, quae aliquo relicto posteris perenni studio-

rum nostrorum documento mutuatur, Commentarios, quos supra memoravimus, quorumque analysim paucis exposuimus, accuratius retractare eo consilio suscepit, ut dein perpolitos praelo subjiceret.

Dum subsecivas in id horas recte Noster ponebat, CAROLUS FELIX Sabaudiae, Genevensis tractus tunc temporis Dux, modo Rex noster Augustus, revocans vel a sua infantia ad firmam usque juventam suae salutis curam VASTAPANI Archiatro a Patre suo Rege piissimo felicissime concreditam fuisse, etsi excellentis ingenii Viro Comite AUDIBERTI, Taurinensis Academiae Vice-Praeside, multarum exterarum Socio, Magistratus Protojatrorum Praeside, vaccinationis comitatui Praefecto, Archiatro praestantissimo plurimum tribueret, sicuti

novum Archiatri Regium diploma, quo eum nuper ornavit, perbelle demonstrat, Nostrum attamen ad se levi morbo laborantem revocavit, atque illustri gratia excepit. Conlatum beneficium, quo nihil potentius esse poterat ad promovendam Nostri humanitatem, novas ipsi vires indit, quas confestim recolligens, potuit tandem optatum ad finem incoeptum opus adducere, ea vel maxime fretus spe, ut Celsissimo Principis nomini inscriptum evulgaretur.

Ubi aegrotantes Viro indefesso aliquot otia dabant, modo susceptos Commentarios perficiebat, modo responsorias, vel missivas literas tradebat illustribus in arte Viris, quibus innotescendi non defuerat occasio. Hi autem quanti Vastapani fecerint, inter sexcenta brevitatis ergo silenda, sat

evidentissime ostendunt Cl.mi Corvisardi Archiatri, ac Professoris celeberrimi epistolae eruditissimae ad Nostrum datae, quas ipse operis posthumi editor religiosissime servo.

Tot laboribus, tot elucubrationibus perfessus, versus finem mensis martii, anno 1819, elanguescere primitus coepit Noster, mox catarrho pulmonum senili multari; interim aegris mederi pergebat. At brevi invalescente tussi, ac muci excreatu uberrimo facto, senio jam confecti hominis vires plurimum depascebantur: febricula dein apparente, lectulum petere coactus fuit, ac dies noctesque insomnes superare. Rebus ita procedentibus, quid sibi immineret vel ipse aeger probe perspexit; quare spiritualibus, ac familiaribus rebus probe dispositis, sua patefacta

voluntate, ut scilicet absolutum opus vulgaretur, fusisque piis votis pro universa Regia Domo, praesertim vero pro Principe Carolo Felici, ac debita fiducia in Servatorem reposita, qui in Christo dissolvi anhelabat, voti compos factus est die 14 maii dicti anni 1819, anno scilicet 80 aetatis suae ad finem properante, praesentibus aliquot amicis, ac familiaribus, qui acerbas profundentes lacrymas animae carissimae ad Creatorem convolanti aeternum valedicebant.

Ita integerrimam, indefessam, coelibemque vitam egit: ita sanctissime obiit Petrus Joannes Vastapani, verae, et non adfectatae sapientiae cultor eximius, qui pro acri eo, quo pollebat ingenii acumine amoeniores disciplinas, et severiora medica studia amice semper exosculatus, tum pe-

nes concives suos, cum penes exteras gentes Regum, et illustriorum Virorum gratiam, et immortale nomen sibi conciliavit.

COMMENTARIA

IN PRAECIPUOS

HIPPOCRATIS APHORISMOS.

PROOEMIUM.

De animadversionibus in generalia Medicinae praecepta, et monita verba facturus, nullam me viam tutiorem ingressurum fore dijudico, Auditores lectissimi, illa, quae ad aequam praeceptorum, monitorumque notionem vos dirigat, et ad artis perfectionem (quanta concessa est, quaeque nonnisi assidua contemplatione, prudentia, et circumspectione obtineri potest), tuendae hominum valetudini necessariam feliciter perducat. Quum enim nemini novum sit, quanta non pauci superbia ne, an oscitantia, an inscitia peccantes ab hisce legibus recedant nostro hoc aevo, quodque pejus est, immortalia Hippocratis, hujusque Commentatorum, aliorumque illustrium Virorum praecepta, ac monita, necnon observationes rectae, tutaeque medendi rationi pernecessaria despicere, pro-

sternere haud vereantur, abs re ideo haud esse reputo monere, in rite adipiscenda horum praeceptorum idea diu, noctuque a Medicinae cultoribus insudandum esse; leve siquidem, et incompositum studium non utilitati, sed damno est gravissimo, cum aegrotantibus, tum artis saluberrimo incremento. Interea benevolum rogo lectorem, ne me credat gloriola, aut scribendi pruritu allectum (quo nihil levius, et damnosius est); sciat solummodo velim, me a longo jam tempore meditantem quonam modo possem in praesens meam adolescentibus, qui olim me praxim publice legentem benevole audierunt, animi propensionem significare, diu ancipitem haesisse, tandem vero, excusso timore, spartam hanc, quemcumque sit habitura exitum, ad id operis suscepisse.

Generalium Medicinae praeceptorum, seu legum nomine non ea tantum intelligimus, quae morbis omnibus accommodari possunt; sed illa, quorum ope debitam rationalem cujuslibet morbi curationem suscipere, prosequi valemus. Etsi vero haec indubia sint principia, necnon cum tuendae valetudini, tum amissae recuperandae utilissima; nisi tamen fidelibus, ut inquiunt cordati Practici, promptisque modis adhaereamus, quos communis a nata medicina Clinicorum consensus, accuratae

observationes, rerumque non fallax experientia detexerunt, in quacumque morbi therapaeja gravissime errabimus. Compertissima est institutionum necessitas, quas Anatomes, Physiologia, Pathologia tradunt de partium structura, natura, dispositione: de functionibus corporis humani: de harum signis cum sanitatem, tum morbos indicantibus: de caussarum externarum, internarumque in solidas, fluidasque partes actione, qua multigeni evolvi possunt in corpore morbi; at omnes hae notiones, ni fuerint a generalibus praeceptis adjutae, mancam futuram esse medicam sic dictam exercitationem, seu Praxim, unanimis est omnium, qui in solida praxi versantur, opinio. Harum legum necessitatem evincit tacitus cujuslibet Medici sensus intimus: hanc confirmat prudentia, sine qua nihil ab homine (quocumque in statu ipsum consideres) recte, prudenterque deliberari potest; hinc liquido assequimur, cur immortalis Medicinae parens Hippocrates artem nostram saluberrimam *prudentiam* esse dixerit, tum philosophiam statuerit a Medicina numquam dirimendam esse, hanc a philosophia. At quamvis haec praecepta, seu principia medica certa nominaverimus, et maxime utilia, vobis tamen auctor non sum, haec, tamquam veritates, ut ajunt, geometricas habenda esse; innumerae

siquidem res sunt, quae ab hisce regulis declinandum esse praecipiunt, hisque particularia praeferenda esse suadent. Aetas, sexus, temperamentum, caeli, annique constitutio, peculiaris cujusque hominis natura, seu idiosyncrasia, morbi haereditarii, vel connati, morborumque symptomata quotidie id probant. In corpore enim pro partium, quibus coaluit, mixtione, compositione, proque modo *animae*, ut inquit H. D. Gaubius (1), *corpori inspiratae* et mobilitas inest, et mutabilitas, et incitatio, et conspiratio, quibus caussae, effectusque salubres, et insalubres oriuntur. Innumerae praeterea res internae, aut foris admotae pro sua quaeque indole, vi, successione, convenientia corpus, perque hoc mentem diversimode afficiunt, determinant, incitant, opprimunt, in rectum, perversumque agunt, eoque e fonte plurimi saepe fomites adversae valetudinis profluunt, quibus ut Medicus faciat satis, eo recedat modo oportet a legibus generalibus, ut deflectendi ratio ab his regatur perpetuo, moderetur que. Eam namque obtinent certitudinem hae leges, ut ab his de recessus modo, ac opportunitate quisque tuto edoceatur. Ecquis in dubium revocabit vires naturae me-

(1) Instit. pathol.

dicatrices, aut his morem gerendum non esse? An ne firmum est, natura repugnante nihil proficere medicinam? De contrariorum lege, et similium similibus conservatione, quis ambigere poterit? Quo natura vergit, eo ducendum esse extra omnem dubitationis aleam positum est. Quapropter tutiore incedet pede Medicus, et bonae frugis doctrinam profitebitur, qui attente observaverit, quid natura faciat, velit, aut ferat, et probe sciat inter naturae vires, morbumque juxta cognitiones a principiis anatomicis, physiologicis, pathologicis petitas aequam comparationem instituere. Porro, his ita se habentibus, ingenue fatendum est, illos, qui praejudicatis opinionibus vitam, sanitatem, morborumque naturam, et horum therapaejam investigare, tradere, instituere credunt, aut veteres Medicos flocci facientes, vel idolis, seu falsis opinionibus imbuti, aut libidine flagrantes efficiendorum systematum, vel in falsum analogiarum, et similitudinum genus jurantes nullam adhibent in observando diligentiam, irridentque traditas, et a longo usu firmatas observationes, quammaxime distare a medicis legibus, propptereaque fortuitam profiteri medendi rationem temeritatis plenam. Progressui ne praxeos medicae, an retardationi occasionem dedere tot, tantaque physiologica,

et pathologica inter Scriptores exorta certamina de natura partium humani corporis: ita ut non pauci sola meditatione crediderint, et adhuc sint, qui credant, in cogitationibus suis repeperire, atque ex eisdem in usus humanos extricare vires, et vias, quibus universae corporis functiones constant, absolvunturque? Ex his, si cum ingenuis loqui fas est, sponte fluxit confusio, unusquisque multiplices, praecipuos morborum effectus, horumque caussas a determinato, singularique suae intelligentiae (cui consulere prae sancitis legibus, seu praeceptis sufficere putabat) modo, quem sibi effinxit, enucleare annisus est; intereadum sana ratio, constans observatio, et experientia, quorum auxilio artifex se prospera, vel adversa valetudine, de caussis morborum, morbo, hujusque phaenomenis, deque remediorum vi, et eventu quidpiam certi statuere potest, systematis falsitatem, aut futilitatem evicerunt. Neque de necessitate harumce legum ille dubitabit, quem in caussas morborum numero pene infinitas, quantum licet, introspicere non pigebit; hae siquidem dissimiles plus, minusque sunt in quolibet homine (licet caussa communis sit), et a peculiaribus circumstantiis diversum genium, varium curriculum, dissimilemque exitum sortiuntur, quibus assequendis sola ratiocinii vis

sufficere nequit, sed huic observationes, et usus adjungere oportet. Quo triplici ex fonte elicita sunt praecepta, quae de ordine Medicum edocent in observandis morbis, et cujus ope in tanta rerum multitudine, ac varietate particulares regulas pro re nata elicere potest, ac singula, sive ad hominem sanum pertineant, vel aegrotantem, rite digerere, et rectam, tutamque curandi methodum inire. Ab his, ni fallor, colligi jure possunt generalium praeceptorum necessitas, atque utilitas, quorum princeps conditor immortalis fuit Hippocrates. Accuratissimis enim observationibus, et ineffabili indagine notavit omnia, ita ut vera, et inconcussa hodie nunc experiantur, quaeque morborum diagnosim, prognosimque spectant, illam pene dixerim rationem habeant, quam ad quaesita in geometricis data, et conclusiones. Huic, ejusque eximiis Commentatoribus gratissima esse debet Ars nostra, quum omni partium studio liberi, nulli servientes opinioni, nulla hypothesium libidine tacti, ea, quae casto ratiocinio, constanti observatione, diuturnoque usu didicerunt, ingenuo scribendi modo posteritati scripta reliquerint. Utinam possem in animos vestros illam infundere simplicitatem, et diligentiam, qua gravissimus Senex philosophiae medicae fundamenta jecit! A precario quatuor elemen-

torum figmento, et a primariis qualitatibus alienus, missisque inanibus de prima temperie, simplicium vitae staminum (quae jactabundi nonnulli sibi plaudentes credunt hisce temporibus detexisse) disputationibus, nihil, quod non observaret, unquam effinxit, aut notandum neglexit: numquam naturae opus detorsit. At dum miram immortalis Senis praestantiam, dexteritatemque in cognoscendis morbis, uti par est, extollo, Posterorum industriam, improbosque labores artis illustrationi plurimum contulisse profiteor. Novis enim additamentis, Hippocrati sane obscuris, sive anatomem consideremus, aut instituta physiologica, pathologica, chemica, materiem medicam scientiam nostram mirifice ditatam fuisse, majoremque ab his tutiori, solidiorique praxi lucem accessisse, nemo sanus ibit inficias. Omnes, qui solo veritatis amore ducti huic scientiae mentem admoverunt, Hippocrati suam observatorum delineationem tribuendam esse, ingenui fatentur; sique ad memoriam revocabimus Graecorum, Latinorum, Arabumque scripta, repetitam, confirmatamque ab his adinveniemus Hippocraticam doctrinam. Inter hos nominare juvat Dioclem Carystium, Aretaeum Cappadocem, Ruphum Ephesium, Soranum, Galenum, Paulum Aeginetam, Trallianum, Oribasium, Cornelium Celsum, Plinium, alios-

que. Posterior aetas aluit inter Anglos Thomam SYDENHAM, Richardum MORTON, HUXHAM; inter Batavos immortalem Hermannum BOERHAAVE, ejusque praestantissimos discipulos Jo. DEGORTER, Gerardum VAN-SWIETEN. Quid de summis Viris non dicam Nicolao TULPIO, Friderico HOFFMANNO, Jo. Bapt. MORGAGNO, TORTI, BAGLIVI, LIEUTAUD, in quorum omnium scriptis Hippocratica vestigia apertissime notantur? Quid plura? Multa, quae a Recentiorum industria, improbisque laboribus detecta visa sunt, HIPPOCRATIS mentem non effugerunt: ita quae de aëre, locis, et aquis in medium protulit, a TORRICELLI inventis confirmantur; quam a summo HARVAEO mirifice declaratus sanguinis circuitus lucem affudit nutritioni corporis, eamdem in ipsius de victus theoria, licet permixtam, et aevo suo accommodatam, legimus indicatam. A tanta, quae in aliis artibus, scientiisque desideratur, concordia, quid de Hippocratica doctrina, deque praeceptorum, quae nobis tradidit, necessitate, ac utilitate cogitandum sit, vobis, quorum cordi est firma artis cognitio, dijudicandum relinquo.

Unum restat, de quo vos monitos volo, ne scilicet quorumdam, quod usuvenit, illecebris decipiamini, qui novis vocabulorum formulis, et ementitis coloribus novam medendi me-

thodum intrudere conantur; hi enim, factis prava saepe conscientia in suam sententiam pertractis, aegrotantium mortem praetendunt, atque illos ad se alliciunt, qui certo quodam loquendi, scribendique genere contenti artem factitant sudori, laboribus valedicentes. Systematis fallacia hos ita a recta abducit via, ut humores a censu caussarum morbos constituentium extrudere nulli dubitent. Apposite consulatur *Memoria del Dottore* Uberto Bettoli *dell' azione de' rimedii sul sistema vivente; letta alla Società Medico-Chirurgica di Parma, 1.º agosto* 1810. Persuasum itaque vobis sit, adolescentes optimi, tum hos esse fugiendos, tum millenas exantlandas esse difficultates, tum diu, noctuque in optimorum Auctorum lectione, observationibus, usuque rerum magistro firmata insudandum esse ab iis, qui honoratissimum Medici titulum exoptant. Neque pulcherrima nostrae artis possessio illis conceditur, qui alicui sectae se se devovent; optandumque esset ne Galenus, ejusque sectatores, Arabesque potissimum, ob quamdam falsae religionis speciem, eoque futili philosophandi pruritu commoti vera, et genuina observata Hippocratica gravissimis deturpassent erroribus. Haec dies docuit, et vos docebit, *omnes errare, qui empyricae scholae, aut*

rationali addicti sunt. Caeca priorum curandi methodus est, quum ex iis tantummodo, quae sensibus obvia sunt, omni posthabito caussarum, et effectuum discrimine, deducatur. Rationales vero, dum subtilitatibus theoreticis innituntur, glorianturque multigena eruditione, observationes, et experientiam invertunt, contemnuntque, et post rationem Medicinam inventam esse credunt, obsequentemque suis ratiocinationibus naturam cogere non erubescunt. Re namque vera tot, tantaeque vicissitudines, quas subiit sana, et tuta medendi ratio, multiplicibus, et toto caelo discrepantibus Virorum licet praestantium opinionibus tribuendas esse, nemo inficiabitur. Herophili opinio quantum distabat ab illa Erostrati? Asclepiadis, atque Themisonis methodicae sectae conditoris, Galeni subtilissimi, hujusque asseclarum theoria quatuordecim post saecula eversa funditus est a secta Chemicorum: imaginaria qualitatis, innati caloris, facultatum vocabula placuere Paracelso, Helmontio, Willisio sulphur, salia, fermentationes in medium proferentes. Nec mirum Harvejanum inventum potuit haec chemica placita expungere: horum eversor fuit immortalis Hermannus Boerhaave, quamquam summi viri Fridericus Hoffmannus pro spasmo: pro anima agente, sibique prospiciente Sthaalius acerrime pugnassent. Neque

defuere, qui aliis excogitandis principiis mentem admoverunt, nempe vitali principio, spasmo, et relaxationi, in praesens incitationi. Quae vero ab his opinionibus solidae praxi accesserit illustratio, nondum boni vident: utinam, quod precor, imposterum profutura sint. Itaque caecam quam empirici sequuntur experientiam, evertant quidem, qui unice rationales sunt; nos illorum vestigiis presso pede inaerendum esse concludimus, qui in ratione, accuratis observationibus, et experientia veram, germanam, nempe dogmaticam medendi scientiam ponendam esse constituunt. Hanc ut addiscere possitis, omnes, quantum potero, ut muneri meo faciam satis, impendam vires, fontes delibans, e quibus tutae, rectaeque medendi rationis signa hauriri possunt: hancque spartam alacrius adgredior, quum adolescentes mihi concreditos noscam principiis anatomicis, physiologicis, et theoreticis imbutos a clarissimis Collegis meis in rebus medicis versatissimis. Quamobrem primo de praecipuis corporis humani functionibus agemus, et de inspectione, ac sciscitatione in primo HIPPOCRATIS aphorismo. Dein quosdam alios, et praecipuos scitu necessarios excerpemus, in quos animadvertentes, occasione arrepta, verba faciemus de victus, vivendique ratione, et pas-

sim de monitis practicis. Tandem differentias quas Practici vocant essentiales, considerabimus. Neque ab ordine (quo nihil scribenti opportunius est), quantum in me erit declinabo: quod si eveniet, non in me, sed in multitudinem, varietatemque rerum brevissimo temporis spatio pertractandarum vitio conferre debetis.

PRAECEPTUM PRIMUM.

Vita brevis, ars longa, occasio celeris, experimentum periculosum, judicium difficile: oportet autem non modo se ipsum exhibere, quae oportet, facientem, sed etiam aegrum, praesentes, et externa. Hippocr. aphor. 10.

§. I.°

Gravissima sunt, nullique dubitationi obnoxia haec brevia Hippocratis verba: ab his liquido intelligitis, Auditores ornatissimi, quot, et quantae superandae sint ab illis difficultates, qui Medicam facultatem suscipiunt, et re ipsa Medicos evadere optant. Quum enim scientiam, artemque Medicam nonnisi longa, et sedula observationum serie quispiam sibi comparare possit, nec qualibet aetate praeceptis addiscendis

idoneus sit homo, consequitur, illos ad artis cognitionem laudabilem pervenire posse, quos aetas prudens, conveniens noscendo apprime rerum usui, deque his maturo judicio ferendo, aptos reddiderit. Haec consideranti patet, sepositis pueritiae, adolescentiae, seniique, heu! brevissimi, stadiis, vix aetatis superesse curriculum, quo de solida, circumspectaque medendi ratione suum possit quisque animum imbuere. *Temeritas*, inquit oratorum princeps Cicero (de senect.), *est aetatis florentis, prudentia senescentis. Mens enim, et ratio, et consilium in senibus est.* At quum hanc firmam, prudentemque scientiam medicam nemo adquirere possit, ni summa diligentia, diurnis, nocturnisque laboribus in succum veluti, et sanguinem convertat ea, quae alii observaverint, detexerint, quaeque quotidiano observatorum usu ipsemet didicit, captu facile est, cur *brevem* dixerit Medicorum *vitam* Hippocrates. Haec confirmata audietis ex illorum expositione, quae *artem longam, judicium difficile* evincunt. Quum enim primariae sanitati, morborumque caussae in obscura lateant, nec nisi per effectus, qui sensubus se praebent, nostro subjiciantur intellectu, horumque effectuum, nedum inter dissimiles aegritudines, sed in eodemmet morbo infinita propemodum

varietas sit, perspicuum est, si dicam rationis vi, observationibus, experientiaque suffulta medicum in artis adeptionem insistere debere. Ne vero tempus in hisce generalibus insumamus, missisque multis, et acerrimis inter medicarum rerum Scriptores quaestionibus, num ratione, an experientia progressus tulerit Ars nostra, an utrisque, ut saniorum, quibus adstipulamur, opinio est, ad fontium, e quibus hauriri possunt, ac debent signa morborum, et idonea remediorum admotio, disquisitionem accedemus. Porro in adaequata horum notione versabitur Medicus, si primum, quid *Naturae* nomine intelligendum sit, apprime sciat. Vetus profecto est hoc vocabulum, mille modis ab Auctoribus inflexum; quidquid vero ab his traditum sit, naturae nomine, cum prudentioribus Neotericis, vocamus omnium physicarum conditionum complexum, quarum integritas constanti, durabilique vitae obtinendae requiritur. Ab his intelligitur motus sanguinis intestini, et in orbem continuo pulsi, caeterorumque humorum necessitas: quamdiu mutua solidarum, fluidarumque partium actio, et reactio id praestant, debitoque modo succedunt, retinendorum elaboratio, et secretio, perque convenientia loca inutilium, et noxiorum excretio, tandiu factae, perquae servantur sanitas, ac vita. Inordina-

natus ergo partium motus, functionumque laesio morbum constituunt, cujus sanatio, aut spontaneis naturae viribus, aut his congrua ope adjutis perficitur. Ut vero ab omni, quantum fieri potest, errore se vindicet Medicus in facienda praxi, animum imbuat oportet praeceptorum, seu legum scientia, quae docet ab institutionibus physiologicis, et pathologicis ducenda esse sanitatis, et aegritudinis signa. Ex quo factum est, ut praxim in duas partes tribuant Medici, quarum una morbi cognitionem, hujus curationem altera complectitur. Licet vero, quod ad generaliora signa pertinet, vos jam his edoctos nullus dubitem, mei tamen instituti ratio postulat, ut intimiore diligentia, et exquisita indagine haec prosequar, e quibus quum diagnosis, tum prognosis morborum, horumque therapaeja, quantum ars sinit, rite instituantur.

II. Ut vero in diagnosticis morborum signis tutius progrediamini, optimae spei adolescentes, sciatis velim, cujuslibet morbi conditionem ex iis erui phaenomenis, quae in aegro a sanitatis legibus recedere comperimus. Instituta itaque sani hominis generatim spectati, vel aegri cum iis, quae in praesens notantur, comparatio ad caussarum, effectuumque in aegro praesentiam cognitionem vos ducat: ab hoc enim

justo actionis cujuslibet integrae, hujusque omnium conditionum cum eadem in aegro vitiata examine, innotescunt Medico dogmatico, quae praesentia, aut futura sunt; alienam partium continentium, contentarumque a naturali statu mutationem perpendens ansam morbi, morbumque facilius perspicere potest, et a phaenomenis, quae cum ipso sunt, nitidius ea sibi repraesentabit, quae minus cauti, aut ignari, oscitantesque ruditer contemplantur. Hujus moniti, quin imo praecepti necessitatem abunde satis testantur illi, qui licet a sana ratione, observatione, et experientia numquam recedant, gravissimis tamen utplurimum, quoties aequum inter innumeras fere caussas cum externas, tum internas judicium ferre debent, aut futura praedicere, irretiuntur difficultatibus. Nemo enim nescit in arte versatus, ipsasmet caussas a quocumque enatas principio morbum aut similem parere in quamplurimis, aut in multis prorsus dissimilem: interdum easdem, quantum constet, quin immo vehementiores ex praecipuis circumstantiis, et non raro minimis ad tempus aliis parcere, aut incognito modo silere, evanescere. Innumera sunt alia vitia, quae intimius, magisque clanculum agentia cautiorum Medicorum oculos effugiunt, neque ipsa evolutio morbi patefacit, a quonam tempore

absque conspicuis signis in corpore delituerint, aut explicita quonam modo aut solis naturae viribus, vel artis adminiculo incolumem aegrum sint relictura. Certum enim est, naturam miram esse morborum medicatricem (quod praeceptum suo loco illustrabimus), quae in operibus suis est simplicissima, quaeque modo crisibus evidentibus, modo inconspicuis subacta caussas morbosas, harum pravos effectus ocius, tardius dissipat, perque convenientia loca (praeceptum Medicis quoque necessarium, et in quo animadvertemus) ipsarum evacuationem molitur. Ab his necessario consequitur, quanta antecedentium, inhaerentium, et consequentium ratio habenda sit a Medico, quotque fidelibus observationibus, quove ratiocinandi modo, et usu indigeat, ut maturum de morbis judicium ferat, et a praecipiti, quae ignorantiam, ac temeritatem sapit, sententia sibi caveat: patet, ut paucis dicam, cur HIPPOCRATES pronunciaverit, *vitam esse brevem, artem longam, judicium difficile.* Haec docent, quam gravissime errent, quantumque afferant populorum incolumitati, quae prima lex est, detrimentum illi, qui ex eo novitatis impetu, aut praeconcepta opinione ducti spernunt ea, quae prisca, et recens aetas veneranda plurimum semper fecerunt.

III. Porro gravissima Hermanni BOERHAAVE auctoritate fretus, inquientis (prolog. aphor. de cognoscendis, et curandis morbis): « qui » ergo actionum vitalium, naturalium, atque » animalium exercendarum requisita ignorat, » adeoque vitae caussas nescit, et sanitatis, » ille defectum illarum, idest morbos co» gnoscere non poterit », muneri me facturum satis credo, si a generali affectionum, seu actionum laesarum consideratione initium ducam, ex qua vitia multigena quisque inferre possit, et modum his occurrendi. Primo igitur in functiones animadvertemus: secundo ad considerationem descendemus aliarum caussarum, nempe aetatis, temperamenti, idiosyncrasiae, victus, vivendique rationis, sexus, qua occasione de sciscitatione aegrotantium, et adstantium verba faciemus. At quum perversa, et multiplex corporearum conditionum solida, et fluida componentium ratio, seu constitutio, a naturalium actionum laesione suam fere semper trahat originem, exque consensu, aut vitii propagatione vitientur vitales, animalesque, tum vitia organica, et multimoda viscerum labes emergant, ab illis initium sermonis faciemus.

IV. Inter laesas functiones naturales examini subjiciemus vitia digestionis, nutritionis, secretionum, excretionumque. Ne vero crambem re-

petamus, vitiis, quae ad digestionem, nutritionem, et secretiones attinent, perpendendis, opportunitatem praebebit victus, vivendique rationis consideratio. Nunc de sudore, urinis, et alvi evacuationibus dicemus. Indubia res est, innumeras corporis nostri conditiones occurrere, quae, ut morbosa fluida eliminentur, praecipuas quasdam definitas exposcunt evacuationes, quibus si supplere aliis excretionibus tentabit Medicus, nedum imperfectam, inutilem, sed noxiam inibit viam. Inter frequentissimas morborum caussas est imminutus, aut suppressus insensilis cutis halitus, nec minus frequens est cohibitus, aut impeditus sudor, cujus auxilio ceu unico, et eximio graves aegritudines superantur: aliae ex adverso ab hoc vel nimio spontaneo, vel praepostere incitato, coactoque saeviunt in dies magis, genium mutant, tristissime, quod non raro evenit, cessurae. Nos nullo partium studio allecti eas tantum leges, et animadversiones vobis proponemus, quas auctoritas, constans Observatorum candor, et experientia comprobarunt, rati vos a generalibus monitis edoctos suspenso pede, et cum prudentia incessuros, quum praxeos exercitio operam navabitis. *Sudor cum ratione quantitatis, tum qualitatis varia in morbis signa exhibet*, ut inquit Georgius Philippus Nenter (fundam. medic.),

Largus sudor in morborum initio semper est pertimescendus, ceu summae humorum tenuitatis, morbi cruditatis, difficilisque coctionis indicium, eo vel magis, si lentescens, viscidusque fuerit. Hic sudor in robustis, et succo plenis corporibus vires naturae infringit, cohibetque morbi progressum; in exsuccis, debilibusque caussam morborum, ac phaenomena exasperat, coctionemque reddit perdifficilem. A diverso, quem spargit sudor, odore multi multa portendunt. Certum est a foetente sudore evectam humorum in corpore alcalinam acrimoniam apte deduci, quae a moderatis motubus interdum mitescit, corrigitur, sed a violentioribus, fluidissima humorum parte dissipata, evolvitur utplurimum magis, saeviorque evadit. Hinc summa et in sudore immodico, et in foetente opus est Clinico circumspectione: neque ad illorum morem accedere utile est, qui calida methodo, et stragulorum pondere hos, ceu naturae motubus obsequiosos, exprimere conantur. Morbi stadia, vires aegrotantis, caussae morbi, morbus, idiosyncrasia, caeli constitutio, praegressorum consideratio, aut aliorum inhaerentium vos edocebunt. Neque defuere inter Veteres (Avicenna lib. iv, fen. ii), qui ab ejusdem colore caussam morbum facientem repeti posse existimarunt. Verumtamen licet

praxi lucem quandoque possit color offundere; quum tamen caussa morbi sive ante febrim, sive ab hac orta in motum per febrem ipsam cieatur, neque sanis hominibus assimilari possit, jamque peregrini adinstar stimuli novas creet molestias, et turbas in evacuationibus, resque admodum incerta sit: ad caussas ideo morbi, ad hujus stadium, ad vires attendere oportet. Optimum sudorem in morbis acutis laudant Clinici, Hippocrate duce, qui et diebus criticis erumpit, aegrumque levat, et a febre in dies plane liberat, tum utilem, qui universo e corpore manans tolerabiliorem reddit aegrotanti morbum; inutilem e contra, infestum damnant, qui ab his recedit conditionibus. Sudor moderate erumpens, confertim exeunte utilior est, quinimo ab hoc, ceu nocuo cavendum esse monuit divinus Senex, fretus longo observationum curriculo. Neque fidendum esse pronunciavit partitis sudoribus circa pectus, cervicem, coxas, genua, crura; ab his enim, ut a sudoribus crassis, frigidis in febre acuta mortem praenunciari testatus est: in mitioribus malis mali longitudinem, hi namque ab irritatione fiunt, aut virium exsolutione. Quanti propterea intersit Medico sudoris distinctio, cum ratione virium, tum morbi temporis, manifestum est. In febribus acutis initio prodeuntes

sudores inflammationis, stimuli vehementiam significant: provecto morbo frigidi summum virium defectum, ut in breve morituris, praenunciant. Patet etiam, quanti facienda sit sedula dierum criticorum consideratio, quidquid nonnulli Scriptores adversus antiquas crisium observationes, tamquam falsas, aut praecario adsumptas, protulerint. Tempus mihi non suppetit, neque hic locus idoneus est, hanc vobis explanandi quaestionem. Qui objectionum farragini respondere cupit, et sagaces Veteres ab adversariis vindicare, adeat eximium JACOTIUM (in comment. in coac. praenot.), Stephanum HOLLERIUM (de pulsu lib. III), Fridericum HOFFMANNUM (lib. III medic. rational.), Petrum FORESTUM (observat. medic. et chirurgic.), egregios Viros Franciscum SOLANUM de Luque, Jacobum NIKELL (novae, et rarae observationes ex pulsu), Hippolytum Franciscum ALBERTINI (in act. acad. Bonon. ann. 1731), Marcum Aurelium SEVERINI (de efficaci medic.), Joannem DE-GORTER, Gerardum VAN-SWIETEN, et alios, quos lubens praetereo. Rarum est, hosce dies criticos, aut signa coctionum, et evacuationum iis non patere, qui « Herculea (ut phrasi utar laudati cl. NIKELL) » curandi methodo naturam subjugare conan» tur, et cogere, ut ea via incedat, quam

» ipsi suprema ratiocinationis potestate, anti-
» quis de naturali morborum decursu, ac pro-
» gressu observationibus non curatis, singu-
» lis symptomatibus convenire existimant (lib.
» cit.) ». Dolendum profecto est, quosdam nostro hoc aevo enervibus, abstrusisque rationibus, nedum crisium doctrinam evertisse, sed nitidam, germanamque medendi methodum obnubilasse. Quonam pacto habenda fides est violentissimis artis nostrae hostibus, qui principiis, ut ita dicam, metaphysicis susdeque agunt, quin immo damnant monita, ac praecepta saluberrima, quorum necessitatem mira in morbis sagacitate, et prudentia, necnon incomparabili praxis successu tot eximii Viri experti sunt, scriptaque posteris consignarunt? Tanta ne accessisset gloria Galeno ex impedita venae sectione in Romano juvene jussa? Haec vobis trado, ut numquam obliviscamini alterius praecepti, quod eo ducendum jubet, quo natura vergit. Quomodo autem hujus rationem Medicus habebit, qui saluberrimos naturae motus despiciens hos turbat remediis, instantes coctiones, aut evacuationes praeposteris alienis remediis impedit, aut alias naturae adversas movet, cogitque? Neque credatis, AA. OO., me eum esse, qui determinatum, absolutum crisium tempus in omnibus morbis constituam;

immo, quum crises tacitorum naturae motuum, sedis morbi, generalis in solidorum, fluidorumque systemate dispositionis effectus sint, saepe incertas esse juxta varium, et imperceptum horum consensum, statuere nullus dubito. In levissimis enim febribus, aeque ac in levioribus sensus saepe effugit, quod evacuatur; at, si de gravioribus loquamur, fere semper quae a viribus vitae subacta, et cocta eliminantur, evidentissima sunt. Haec perspicuam nobis faciunt caussam, ob quam Medicinae Parens sedula observatione, et non interrupta, quamvis a sudore morbum judicari notaverit die quinto, septimo, undecimo, decimo quarto, vigesimo primo, et trigesimo, juxta tamen celeriorem morbi impetum, aut remissionem citius, tardius dies criticos contingere dixerit, quemadmodum etiam affirmavit, si hisce diebus sudor non adparuerit, timendum esse de morbo praelongo, molestiae pleno, adque recidivam proclivi. Nec ab alia re, quam ex hac crisium instabilitate dies criticos coincidentes etiam nominavit in celerioribus morbis, tertium, quintum, septimum, nonum, decimum quartum, decimum septimum, primum, et septimum supra vigesimum, non ita in aliis trium hebdomadum spatium excedentibus.

V. Sed eo, quo discessimus, redeundum. Per-

pendere sedulo necessum est, quando sudor utilis sit, et sinendus, quando compescendus, vel arte eliciendus, quo modo symptomaticus critico distingui debeat, hujusque signa. Generatim, uti superius dictum est, boni ominis in morbis est sudor aequabilis, et *cujus febricula*, ut inquit CELSUS (lib. II, cap. III) *eo finiatur*, moderate calidus, et tenuis, inodorus; malum portendit frigidus, viscidus, foetens. Joh. FERNELIUS ait: *bona est crisis sudor in morbis acutis* (lib. IV, fen. II, tract. I, cap. LXV): neque hujus auctoritati repugnant experti Clinici; at momenta, quibus acquiescamus, perpendere fas est. Quoties urinae, aut alvi suppressio, vel horum parcitas in morbo acuto superveniunt, nulla sunt haemorrhagiae, aut vomitus indicia, pulsus mollis, undosus exploratur, increscente febris impetu suboriuntur levis mentis alienatio, calor adauctus cum majore partium externarum calore, et novo cutis madore, quisque potest ab his materiei morbosae in motum actae, et ad cutim utiliter appellentis signa colligere (JACOTIUS in comment. coac. praenot.). Eo vel magis bonae spei his in rerum adjunctis sudor erit, si illa se prodat pulsus species, quam eximii Viri Franciscus SOLANO de Luque, et Jacobus NIKELL (cap. III, lib. cit. de signis, et legib. pro prae-

dict. sudoris critici pag. 34) pulsum inciduum appellant. *Pulsus est inaequalis in una* (sunt verba Auctoris) *duabus, tribus, quatuorque successivis pulsationibus tam altitudine, quam vigore super alias diastoles insurgens.* Perpetua est cum hoc pulsu mollities de mente eximii Auctoris, qui inciduum pulsum semel durum ante icterum criticum, se notasse testatur, atque absque praegresso hoc pulsu sudores criticos in febrium intermittentium declinatione erumpere candide affirmat. Hanc pulsus speciem jam suis temporibus notavit GALENUS (de praesagit. ex pulsib. lib. II, cap. IX), si Interpretibus fides adjungenda est. At quum sudor initio morbi noxius fere semper sit, alias, sed raro proficuus, et ab hac indebita evacuatione, quod usuvenit, hujus exasperatio, et aegri pernicies sequi soleant, summopere interest in ea animadvertere, quae possunt tutae, ac citae (quod praeceptum medicum est) ineundae curae lucem affundere. Inter haec, ut de sudoris utilitate, aut noxa aequum judicium feratur, advertere expedit, num cruditatis tempore, et nullis adhuc apparentibus coctionis signis erumpat sudor: eo vel magis si hoc diffluat aeger. Haec sudorem vi morbi praevalente *expressum*, ut inquiunt, seu ex irritatione coactum significant: e contra cum mor-

bus mitis est, ejusque caussa lenior, et quaedam coctionis signa, a pulsu, aliisque excretionibus conjici jure possunt, sudorque die critico prodit, utilis censeri debet etiam largior; cum in primis morbi diebus, si copiosus manat, eodemque tempore si aestus, motusque sanguinis adaugentur, omnesque excretiones crudi adhuc morbosi fomitis praebent argumentum, hic ceu malus compescendus est. Calor enim febrilis increscens, vehementiorque sanguinis circuitus per externa vasorum dissipant liquidiorem humorum partem, adque cohaesionem disponunt reliqua sanguinis principia, stases ubique inflammatorias, lentoresque diversos generant, e quibus vel collecti humores alienantur, vel ad vitia multigena disponuntur. Quanto propterea in errore versentur illi, qui sudoriferis, calefacientibus urgent naturam his in circumstantiis, res est intellectu facilis: deque hoc practico monito nos edocent HIPPOCRATES, CELSUS, aliique. *Sudor*, inquit primus, *una cum febre ortus in acuto morbo malus est* (coac. praenot.): alter, ubi de eliciendo sudore agit an balneo, an sicco calore, subdit: *ab his esse cavendum vel in febre, vel in cruditate* (lib. II, cap. 17). Neque aliam tuetur opinionem eximius Joh. Conr. BARKAUSEN affirmans: *sudorem febricitanti supervenientem, febre haud remit-*

mittente, malum esse: morbum enim praelongum, humorumque copiam, et cruditatem significat (Collect. med. pract. geneal. pag. 286 prognos. sudor.); et alibi : *sudor subitus in morbi principio malum portendit, quemadmodum copiosus sudor in principio variolarum* (aut aliorum exanthematum, ut videbimus), *cum virium debilitate lethalis est* (Joh. Jacob Waldschmidt oper. med. pract.). Quid, si sudor vehemens, velox in die critico oboriens periculo non vacat, teste citato Barkausen?

VI. At notare expedit, quamvis haec monita auctoritate, observationibus, et experientia firmentur, exceptioni tamen obnoxia esse, quum de morbis agitur, quorum caussa mobillima, actuosissima est, et sua tenuitate, ni cito diffletur, ad haec, vel illa extemplo vitalia viscera fertur pernicissimo motu, aegrumque brevissimo temporis spatio adinstar *toxici*, ut ait Joh. De-Gorter (Syst. prax. med. §. 275), interficit. In horum censu reponendi sunt morbi pestilentiales, epidemici maligni, ex. gr. febris Britannica a Joh. Cajo descripta (in ephem. britan. pag. 13), ab aliis *sudor Anglicus* dicta. Horum morborum natura saepe incognita est (Joh. De - Gorter loc. cit.). Inter curationis prophylacticae cautiones una erit de mente hujus cl. Viri, et sagacium Practi-

eorum largior corporis perspiratio; et eradicativa, praesente morbo, medendi ratio sudoriferis illico tentanda est, haud neglectis, si detecta fuerint, antidotis variae miasmatis naturae idoneis (loc. cit.). Neque aliter sentit Hippocrates Anglus Thomas SYDENHAM, qui licet acerrimus diaphoreticorum osor sit, haec tamen, ceu unicum, tutum, promptumque auxilium commendavit (Oper. med. sect. II, cap. III febr. pestilent. etc.). His ergo morbis, et non aliis sudor initio prodeuns sponte, vel arte, summo esse potest emolumento. Caveant Clinici, ne a praeconcepta opinione rapiantur, quoties de provocandis sudoribus, aut obortis, temperandis, supprimendisve peragitur; a culpa enim haud immunes dicendi sunt illi, qui nulla ratione habita, uti par est, caussarum morbi, hujus phaenomenorum, temporum, anni constitutionis, idiosyncrasiae, suam dant operam continuo excitando, promovendoque sudori efficacissimam. Si morbus ab acri, fervidaque humorum indole, vel phlogistica densitate fiat, quaenam erit, amabo, initio morbi, aut hujus augmento, et progressu, ni aliud conjuncta suadent, a sudoriferis, et actuosis remediis utilitas? Sunt, qui sibi plaudunt, quum sub horum remediorum usu minimas subrubras pustulas, aut aliud quidpiam efflorescens ad ex-

timam corporis superficiem obtinent, aut ex febris impetu natum, strenue promovent. Anne his, quae symptomata sunt, ut inquit Antonius De-Haen (part. ix, et alib. in rat. med.) factitia, effrenis, et inordinatis compescendis, tum sedando nimio calori, corrigendaeque humorum acredini temperantia, diluentia, subacida, antiphlogistica praeferenda sunt? Anne *venae sectione* (dummodo consentiant omnia) *in morbis acutis inflammatoriis plus sudoris*, inquit Joh. De-Gorter (cap. xv de sudore), *elicitur, quam tripla dosi sudoriferorum acriorum?* Obvium est, a tenuioris humoris parte difflatione congestiones viscerum, lentoresque ubique nasci, solidasque partes sua orbatas elasticitate his vitiis additamentum facere, nec non ab his evecta, progrediente morbo, humorum acredine, summam in nervorum systema perturbationem induci: adeo ut pervicacior in dies morbus evadat nullo artis molimine saepe vincendus. Extispicia cadaverum gangraena, sphacelo absumptorum fidem passim faciunt. Generatim in morbi vehementia, ac virium debilitate (Jo. De-Gorter loc. cit.), in purpura legitima (quae rarissima), in scorbuticis, inque morbis ab acri, tenuique humorum indole commotis, et altis profusi sudores, foetidi, milliformes vitandi sunt: *non video* (verba

sunt laudati De-Gorter) *tantam in sudoris expressione utilitatem : omnes caussae , quae vi sudorem cient, officiunt* (loc. cit.); et alibi (eod. capit.) : *omnes autem caussae, quae sudorem promovere solent violente, uti sunt diaphoretica indebite propinata, quando moderate adhiberentur, multo magis conducerent : hinc motus omnes violentiores nocent, moderati vero prosunt, adeo ut exercitium solvendis humoribus viscidis utile, ad expressionem usque sudoris tantummodo sit protrahendum.* Et sane vel stimulans est caussa sudoris universum nervosum genus concutiens, vel ex nimio stimulo debilitas enata sudorem prolicit: in utroque casu sudor aut calidus, aut frigidus nocet quammaxime. Ne vero, quod generali favere potest, omittamus, considerare juvat ea, quibus futurus sudor nedum praesagiri potest, sed de ipsius quoque utilitate quidpiam boni decerni. 1.° Natura morbi perpendenda est, an illius genii sit, cujus ordinaria crisis est. 2.° Signa ex copia humorum majore, quam reliquae evacuationes imminutae, aut fere suppressae suppeditant, deducenda sunt praesentis, aut instantis sudoris. 3.° Ex valido motu circulatorio, cujus signa sunt calor externus, rosea facies, leve delirium, futuri sudoris critici argumentum deduci jure potest. 4.° Pulsus mollis, undosus,

laxa cutis, calidusque hujus vapor tradita confirmabunt. Quamvis vero haec ita se habeant, credatis nolim, sudores profusos extemplo cohibendos esse; namque prudentiae leges, et praeceptum Hippocraticum repentinas mutationes prohibent ceu naturae inimicas: horum cautam, et paulatinam imminutionem suadent. Quae cum ita sint, liquido assequimini, quanta sedulitate, quantaque circumspectione facienda sit caussarum, necnon effectuum distinctio, qui licet simillimi prima fronte videantur, diversum tamen postulant medendi modum; qui enim, ex. gr., effluentem a longis febribus sudorem una cum emaciatione sociatum cohibere sataget adstringentibus, vel aura frigida, in evidens vitae discrimen conjiciet aegrotantem, cui curando remedia specifica, et roborantia prudenter, et apto tempore jussa e re erunt: immodicus morborum chronicorum sudor solis antisepticis non fugabitur, facile moderandus, si his roborantia adjunxeris; nedum enim, quod alienum a natura est, leniter evacuandum, sed progressiva evitanda est mali caussa, quo in casu ad illos accedendum putamus, qui subducentia emeticis, vel acribus purgantibus anteponunt. Neque insolens adeo est sudor uberrimus in acutis febribus a diathesi phlogistica obortus, cujus sedandi scopo saepe ineptus est solius aquae potus, ceu cum

principio phlogistico aegre miscibilis; quin immo ab hoc potu, ut serum a lacte, secedit uberior sudor: hoc in casu experti Medici est aquosis nitrosa, farinosa, vel quae blanda vi, saponis adinstar solvente, aut subacida gaudent, miscere (Gerar. Van-Swieten, de febribus in genere, in comment. in aphor. Herm. Boerhaav. tom. ii. Joh. De-Gorter, de perspirat. cap. xv, pag. 98). Id omnes experiuntur, qui, saeviente syrio, sitim sola aqua extinguere volunt, ac sudore illico diffluunt; hanc vero etiam multam sedant, eumque arcent farinosis, subacidis. Quod si copiosus sudor a nimia cutis laxitate, viriumque debilitate inducatur, uti observare est post diuturnas febres, enormes evacuationes feliciter superatas; curandum tunc est, ut vires corporis idoneo victu adaugeantur, potius quam medicamentis, quorum ope haud facile voti compos Medicus evadet. His in circumstantiis, quae blando, spirituoso, aromatico scatent principio, huic fugando sudori ceu a nimia humorum tenuitate, et vasorum cutaneorum laxitate inducto, praesentanea sunt. Vinum meracum, infusa vinosa salviae, menthae, cibi eupepti frequenter, et modice exhibiti primarium sibi vindicant locum (Memorat. Auct. loc. cit.: Thomas Sydenham sect. v, cap. 2).

VII. Ab hactenus enarratis constat, ni fal-

lor, indebitos esse, generatim loquendo, initio morbi sudores, eosque, quaecumque fuerit horum caussa, (morbos malignos, ut supra dictum est, excipimus), illaudatos a Practicis esse: consequitur etiam, haud esse inconsiderate coërcendos: patent tandem generalia futuri sudoris critici signa. Nihilo tamen secius prudens sit Medicus, ad aequam rationis, experientiaeque trutinam redigat omnes caussas praedisponentes, occasionales, inhaerentes, proximas, consuetudinem, quae altera natura est: aestuanti homini, diffluentique sudore prohibeat inopinatam auram frigidiusculam, eo magis frigidam, et subitam stragulorum imminutionem, si variolas eximas, in quarum primo stadio, ne nimius sudor erumpat, aut obortus contineatur, aegrum non decumbentem, sed in lecto sedentem detinebat Thomas SYDENHAM (in dissertat. epist. de variol.). Paulatina aëris temperatioris admissio, et prudens stragulorum depositio, aëris necessaria in cubiculo renovatio dum temperant nimium sudorem, idoneum cutis, et utilem vaporem non impediunt. Ab his deducere quisque potest minus cautam illorum curandi methodum, qua aegros hermetice fere clausos in cubili, et lodicibus obrutos volunt, nullam habentes morbi, et hujus stadii, tempestatis, temperamenti, aetatis, quodque primum est,

caussae morbi rationem: quin imo calidis, actuosis, acribus remediis, diaphoreticis stimulantibus, neque his contenti, assiduis fotubus fere candentibus sudorem exprimere nituntur. *In continuis febribus*, inquit Jodochus Lommius (de febr. cont. p. 258), *materia in venis continetur, manens gravi incendio, atque assidue corpus urit, quod, nisi opportunis temporibus refrigerio poculorum reficitur, periculo fit obnoxium.... Vitandus sudor quoniam corporibus rarefactis facilem aëris noxii ad viscera accessum praebet.* Exitum faciemus huic generali de sudore tractationi, adnotantes, nil quidpiam certi de sudoris excretione sanciri posse, nisi attenta, et sagax materiae sudoris, caussarum, et effectuum ratio habeatur. Quum enim sudor necessaria non sit in corpore sano evacuatio, ex natura morbi, seu caussa ipsum faciente hujus desumenda est necessitas: caussae praegressae hanc confirmabunt, ipsius utilitatem effectus. Quum igitur caussae antecesserint, quae insensilem perspirationem imminuerint, aut suppresserint, utilis erit, ni vitae vi suppressum solutum iri, aut in circulum agi praesumi jure possit. Haec materia observatur potissimum in febribus acutis inflammatoriis, ardentibus, et omnibus, quae ex crassa, tenacique caussa suam ducunt ori-

ginem. In his sudor opportuno morbi tempore, aut sponte apparens, vel blande promotus laudabilis erit: at in morbis, qui ex humorum acredine, et mobilitate fiunt, quum multigenae ab hac humorum indole excitentur in nervoso stamine concussiones doloris non expertes, cavendum erit a sudoribus, qui quo magis erumpent, eo plus debilitas adaugebitur, succedentque, quod non raro notatur, animi deliquia. Si ergo stimulans principium eo intendatur, ut vitae vires vincantur, et molesti nervorum sensus pedissequi sint, nulla in sudore spes ponenda erit. Testem provoco experientiam: an in purpura, febre petechiali, aliisque exanthematicis morbis haec copiosa sudoris excretio utilis est? Ad effectus vero sudoris quod attinet, hi sunt considerandi, an immediate ex sudoris evacuatione succedat pororum cutaneorum, et solidarum partium laxitas, tum vitae vis debilitas, ex qua materies retenta acriorem in dies indolem adipiscitur, et numero pluribus humorum alienationibus ansam praebet. Hujus in omnibus phaenomenis distinctionis ratio detegendae morborum indoli, et remediorum oppositioni mihi videtur summopere necessaria, quum ex hac prognoses, quas passim experti Auctores tradunt, ex sudore facile vos esse assequuturos confidam. Haec generatim de sudore.

VIII. Omnibus notum est, vitam, sanitatemque nedum a perenni sanguinis circuitu pendere, sed a recte succedentibus caeterorum humorum secretionibus, et excretionibus firmari, conservarique. Quodsi a naturali statu ipsae deflectant, sanas oeconomiae leges turbari, morbosque citius, tardius evolvi certissima res est, quorum natura in depravata sanguinis mixtione quaerenda est. Inter functiones naturales laesas urina esse potest, a cujus aequa una cum aliis signis inspectione, prout Medicis datum est, morborum diagnosim, prognosimque eruere queunt prudentes Clinici: aequam dixi una cum aliis signis inspectionem, ut ineptum vulgus, et inter urbanos homines non paucos ab agyrtis, circulatoribus, si possibile est, vindicemus, qui perfricta fronte, et vaferrimi se ex sola urinae, etiam a dissitis regionibus translatae consideratione omnes, et singulas corporis agitationes noscere canunt, dolóres externos, internosque, tum ab hac inspecta graviditatem divinare, et nasciturum foetum an marem, an foeminam, et centenas alias fabellas aniles. Quae, ut declinetis, cautiones, et monita practica vobis aperiam in hoc capitulo, AA. LL., quibus edocti et aegris, et propriae existimationi consulere tandem valeatis. Victus, vivendique ratio apprime pensitanda est, tum idiosyncrasia, quum qui-

busdam, dum integra fruuntur sanitate, familiaris urina sit, quam in aliis morbosam appellaremus. Urinae colori, et consistentiae immutandis multum conferunt aetas, anni tempus, sexus, temperamentum; urina enim infantis lacteum colorem exhibet, non albicantem, sed turbidum in pueris, subcroceum in juvenibus, adque senectutem vergente aetate, albus denuo lotii color est. Ratione victus scire oportet, cibi, potus, ut etiam remedii colorem, odoremque saepissime ostendere, spargere urinam. Allium coepa, therebintina suum urinae odorem communicant: hanc flavo colore tingunt rheum, crocus, nigro pulpa cassiae, quin imo inter esculenta asparrigi sunt, qui, salva sanitate, turbidam, foetentem hanc reddunt. Nimia esculentorum copia nullum saepe alienum colorem urinae conciliat, alias saturo colore ipsam inficit. Paucae hae animadversiones, jam docent, quanta solertia, et circumspectione opus sit Medenti, ut ex lotii signis de abditis morborum caussis sanum judicium ferre possit, easque tamquam in tabula, ut ajunt, exhibere. Sed hisce generalibus, ut maturius judicium sit, addamus oportet conditionem vasis, quo excipitur, haud spernendam fore, si vitreum clarum, aut crystallinum sit, omnis coloris expers, et optime ablutum: si neque propius, neque re-

motius, quam par est, urina inspiciatur; haec siquidem quo propior oculis subjicitur, eo videtur crassior, tenuior, quo magis distans. Qui ad hanc se componet normam, non ita facile hallucinabitur (vid. GORDONIUM, Joh. MUNNIKS, Joh. Conrad. BARKAUSEN de urina). Generatim urina mane collecta certiorem de morbi progressu, deque corporis dispositione significationem dare Practicorum mens est, docentque, quum mingitur, non esse inspiciendam, quum hypostasi, caeterorumque in urina contentorum collectioni idoneum tempus deficiat, quod absolutae eruendae indicationi summopere conducit. Tandem varia morborum tempora, et paroxysmorum naturam perpendat Medicus: absque his in auxilium vocatis, curantem saepe fallit lotii inspectio.

IX. His de generalibus monitis praelibatis, muneris nostri ratio postulat, ut ad exactam urinae in morbis considerationem gradum faciamus. Hanc prosequemur juxta colorem, quantitatem, contenta, quandoque odorem. Ad colorem quod spectat, urina nigra mali ominis est in morbis acutis, capitis doloribus, eo vel magis si copiosa fuerit, eodemque tincta colore hypostasis: *Nimium humorum fervorem, nimiamque atrabiliariam acredinem enunciat, quae tunc temporis sanguini, humoribusque*

non intime mixta vehementi motu, et continuo attritu solidas partes destruit, et vario modo in colatoria corporis effunditur (verba sunt D. Christiani Gottlieb. LUDWIG de sign. morb., et prognos.). Quodsi his in morbis colori rubro, aut flavo niger succedat, tristissimi eventus est; nec minus infaustum erit praesagium nigrum lotium in renum, et vesicae morbis, comitibus acuta febre, affectarumque partium dolore (GORDONIUS lib. cit.). Neminem a nigra urina servatum vidit GALENUS (de crisib. lib. I, cap. XII). Si eneorema nigrum suspensum, aut nubeculae tantum nigrae fuerint, minus erit periculi (BARKAUSEN lib. cit.). Nigra urina paullatim fluens certa est mortis praedictio, neque ab hac, ceu gangraenam praenunciante, sperandum est in peripneumonia, in spasmo, dolore lateris, anorexia: e contra alicui spei locum facit hic urinae color, si a febris initio ad septimam usque diem perseverans morbi facies mutetur in melius, ut in quartanis febribus, morbo chronico, affectione hypochondriaca; talis apparens criticae atrae bilis evacuationis signum esse potest (RHASES lib. X, cap. XXX, Jo. DE-GORTER syst. prax., Gerard VAN-SWIETEN, Nicolaus TULPIUS observat.). Ad bonum omen referenda quoque est in his morbis nigra, vel livida albam excipiens:

ab urina livida non minus, quam a nigra timendum est: si haec cum tenuitate fluat, instans delirium est (BARKAUSEN loc. cit, Fridericus HOFFMANNUS, fundam. med. semiot.). Si urina viridescens ad lividum colorem vergat, mortem praenunciat; summam enim humorum prodit indolem ad alkalinam pronam, uti notare fas est in febribus pestilentibus, similibusque mali moris morbis, necnon in febribus symptomaticis ulcerum saniem fundentium. Ab urina spumosa, diuque ita persistente conjectari potest difficilis crisis ob nimiam, quam arguit, humorum tenuitatem, solidorumque laxitatem: quum vero urinae superficies pinguis, oleosa conspicitur, febrem lentam, hecticam colliquationem enunciat, saepissime labem scorbuticam. Praeter has varias coloris urinae differentias occurrunt aliae, quarum dissimilis conditio, mutationes sanguinis, quae in aliis humoribus se se exerunt, per hanc secretionem melius patent, quam per aliam quamlibet, ita ut multiplices in sanguine acredines, aut alia vitia urina significet, et prognosi opportuniorem praebeat occasionem. Ac primo notandum est, quandoque rubrum urinae colorem ex se talem perstare, quandoque a connatis rubro-saturatum evadere. Perstans urina rubra cum dolore lumborum nimium san-

guinis fervorem, attritumque, quibus renes afficiuntur, demonstrat, quemadmodum ab hac in morbis a debilitate oriundis, et, ut loquebantur Veteres, frigidis, renum laxitas jure inter alios notavit SKENKIUS (observ. med. lib. 3). Sanguinea urina in hepatis congestionibus lethalis est: rutilo, et flammeo colore tinctum lotium saepe caloris modum excedentis, aut evectae inflammationis indicium esse, notant Practici: haec in acutis febribus potissimum notatur a tenaci humorum, praecipue cruorosae partis crasi invectis; ideoque ex his futura coctio aegrius successura conjici merito potest. Ab urinae in febre continua sedimento a trito latere non dissimili morbum diuturnum, emaciationem, hydropem sequi auctor est immortalis Herman. BOERHAAVE; sanguinis enim solutam crasim, solidarumque partium robur deperditum significare pronunciat. Urina quolibet in morbo si ab ejus initio rubere incipiens coloris tenax ad dies persistat absque hypostasi, de naturae viribus morbo vincendo imparibus, deque lethali metastasi dubitare sinit (GORDONIUS, MUNNIKS, BARKAUSEN loc. citat.). Quod si haec urina rubra, flocculis sparsim haerentibus tamquam turbida videatur, licet verum non deponat sedimentum, mitiorem tamen acuti morbi genium, debitamque coctionem, et cri-

sim praesumere sinit. Sin onusta fuerit albo, rubelloque, brevem, et ex voto succedentem morbi curriculum promittit. Hactenus proposita utpote ad morbos acutos fere omnia spectantia retulimus; sed animadvertere oportet, lotium rubrum, aut hujus sedimentum intense rubrum, copiosum, vel squammosum fere, et furfuraceum cum pellicula innatante subpingui sanguinis diathesim significare, humorumque cacochymum, scorbuticum vitium; in hydropicis, et atrophicis, vel phthisicis mortem fores pulsantem.

X. Ut sanguis ad carnis loturae colorem accedens, et oleaginosus principii alienati argumentum est, ita in acutis morbis subitam ante quartam diem urinae rubellae, et crassiusculae mutationem in tenuem, aquosam, mali est praesagii; denotat enim partium internarum spasmum, et pedissequas saepe lethales ad vitalia viscera metastases. Neque minus subest ab hac urina exquisite, ut ajunt, cruda ante, et post crisim vitae periculum. Uti ad minimum, ut inquit D. Christianus Gottlieb. Ludwig (de inst. pathol. pars IV, cap. IV, de sign. morb. prognost.), in his morbis acutis difficilem coctionem, et crisim, sic in chronicis debilitatem viscerum, et obstructiones pituitosas declarat. Nostris in regionibus passim notatur haec uri-

nae qualitas in purpura alba, et rubra dicta, in febribus mali moris, aliisque morbis cutaneis, et ex hujus inspectione vel proximum a peripheria recessum morbosi fomitis, vel minori, quam videtur, copia ad hanc accessum quibusdam significante, omnis medendi ars eo dirigitur, ut remediis ad cutem pellentibus graves paroxysmi, insignia morbi augmenta, convulsiones praecaveantur, et morbus ad morem suum denuo componatur. Sed hanc in methodum animadvertere liceat, utpote rationi, et experientiae saepissime repugnantem. Penes omnes in confesso est, naturam esse morborum medicatricem, Medicum naturae ministrum (ut ex hujus praecepti illustratione suo loco constabit): aeque ratum est tunc a natura secretiones, excretionesque rite peragi, morbosam materiem subactam iri, concoqui, cum haec neque nimium efferis, aut nimium debilibus gaudet motubus. Porro si paullo attentius in proximam horumce morborum caussam inquiramus, quae in subtilissimo, mobillimo, acerrimoque principio posita est, quod ubique irritamenta gignit, humorum crasim saepissime destruit, secretionum, excretionumque ordinem perturbat, impedit: an hujus humoris malitia ex stimulantibus, calefacientibus acuenda? An liquidior sanguinis pars sudoriferis, et actuosis

quoque dissipanda est, promovendaque humorum solutio? An his immitis humor per vim ad cutim cogendus, cujus sedes incerta admodum est, cujusque facillima evanescentia subitas post se trahit convulsiones, ab his vero ubique *stases* gignuntur in gangraenam, sphacelum ocissime cessurae? Tutior illorum agendi ratio videtur, qui diluentibus, sedantibus, subacidis caussam corrigere satagunt, neque, si indicatio sit, a clysteribus, vel captis eccoproticis abstinent. Crudum coquitur, coctum per crisim evacuatur, inquiunt Practici. Si ergo illo fiant tempore materiei morbosae eruptiones, quod coctionis signa praecesserunt, quodque criticis respondet diebus, prudentis erit Medici, et rationalis salutaribus naturae motubus auxiliatrices manus porrigere aptorum praesidiorum ope, neque aliis remediis huic fraenum injicere. Si in morbi initio cutanea se prodat efflorescentia, ea metastatica habenda est; re namque vera, si de illa, quam purpuram dicunt, loquamur nostras incolas passim infestante, nulla praeoccupati opinione sancte affirmabimus, hanc, si praecox apparuerit, laetiferam utplurimum nos vidisse, aut saltem adeo lubricam, ut pauci evaserint. Ex adverso raro non salutarem, si diebus criticis prodierit; prosperam enim morbi finem facit. Cur olim puerperis adeo imminebat, ac

quasi certum vitae periculum ex hac efflorescentia? Varias inter caussas, si conjecturae locus est, nullae potiores mihi videntur prohibita in cubiculo, tamquam in hypocausto, aëris renovatione, summa stragulorum, et conopei, ne quidquam aurae frigidiusculae admittatur, religione, tum actuosis remediis. Ex quibus obortam lochiorum turbationem, vel etiam tum impeditam lactis evolutionem huic praecipiti, et maligniori metastaticae excretioni ansam praebere liquido quisque, ni fallor, intelligere potest. Quatuordecim, et ultra annorum curriculo innumeris adstiti et puerperis, et aegris in Nosocomio majori D. Joannis Baptistae, et Illustrissimae Civitatis hac excretione cutanea onustis, candidae profiteor, et testem adhibeo lectissimum Collegam meum, et Socium eodem in Nosocomio ad multos annos Ignatium Costa, nec unam quidem ex quotidiana aëris renovatione, ex mutatione juxta opportunitatem indusiorum, et stragulorum, et idoneis pro re nata remediis diluentibus, fluxum debitum cum lochiorum, tum secreti lactis per convenientem viam servantibus, aut in aliis aegris subacidis, et in omnibus, si indicatio erat, clysteribus emollientibus, male cessisse.

XI. Quum inter cruditatis, aut coctionis signa unum praecipuum urina sit, aliisque cri-

ticis evacuationibus pondus addat, hujus caeterarumque excretionum attenta semper ratio habenda est in quocumque morbo, et quolibet hujus stadio. Ut proxima morbi caussa in febribus universum corpus afficit, ita quamvis subacta, et cocta per alias vias excerni possit, experientia tamen, et observatione constat, cujuslibet coctionis, aut crisis signum ex lotio praenunciari. Diarrhoeae, sudori, haemorrhagiis criticis adjungi, quin imo has antevertere, et cum aliis praecipuis phaenomenis tuto fere praedicere, vetus est HIPPOCRATIS, GALENI adnotatio (HIPP. aph. 1, sect. 2, GALENUS de crisib.), quibus accedit NIKELIUS (de puls.). Urina initio morbi tenuis, cruda, et exquisite aquosa numquam boni ominis est in morbis acutis: uti de vita aegrum periclitari practica est observatio, quum ineunte gravi morbo urina est sanorum simillima. Neque fidendum urinae, quae post alias crises tenuis, crystallina constanter fluit: imperfectae namque morbi judicationis, facilisque recidivae argumentum est. Alba, et tenuis urina in febre acuta de futuro delirio suspicionem movet; eo vel magis si quarumdam animalium functionum laesio accedat, puta oculi flammei, scintillantes sint, una cum aurium tinnitu; materiem enim morbosam ex spastica vasorum contractione caput petere, in eoque defigi prudenti conjecturae locus est.

XII. Nunc in signa, quae ab urinae quantitate, et contentorum qualitate in morbis, prisca, et recens aetas notaverunt, generatim inquirendum restat. Ad quantitatem quod attinet vel nimiam, vel justo parciorem tutum judicium feret Medicus, neque hujus excessum, aut parcitatem pro morbo habebit, si ad assumpti aquosi copiam, aliasque serosas secretiones, excretionesque respexerit; quum enim nimiae potus ingurgitationi, aut aliis imminutis naturalibus evacuationibus copiosior urina succedat, aut paucior defectui, vel imminutioni potus, aliarum excretionum augmento, potissimum sudoris, ex his in se spectatis illatum signum nec bonum, nec malum esse, quisque colligere potest. Saepe ex nimio aquosorum potu modum excedet fluxus urinae clarae, et pellucidae, quam *urinam potus* vocant Practici: quemadmodum a nimio exercitio, a profusis sudoribus, abstinentia parcitas urinae consequens est; ut ergo in adaequata rerum diagnosi ab omni ambiguitate nos expediamus, consideremus oportet, num urinae copia, quae longissime superat ingesti potus quantitatem, hominem diu affligat, num corporis habitus affligat. Res ita si fuerit, quum a nimia insontis potus copia rarissime fiat, in caussas remotas, praedisponentes, occasionales inquirendum est: ad

ex. si praecesserit ciborum acrium, aut remediorum diureticorum abusus, si frigus, caelum humidum, pluviosum perspirationem turbaverint, suppresserint: num aëris serosa colluvies caussa esse possit, aut cruditas, vel ex otio, omissis exercitiis, motus, et circuitus sanguinis languidior: num nimia humorum ex invaletudine ad solutionem proclivitas, aut praegressus mercurialium, purgantium usus immoderatus: vel, ut notat Jo. De-Gorter (syst. prax. de tenuit.), adflatus aëris malignis, putridis principiis inquinati: tandem, si copiae adjungatur tenuitas nimia, an in nervosi staminis mobilitatem caussa refundenda sit, ex qua in viris, et foeminis tantae excitantur turbae cum in universo corpore, tum in nervis potissimum, qui per abdominis viscera disperduntur, ut limpidam, inodoram, insipidam urinam ad libras excernant, quemadmodum in morbis hypochondriacis, hystericis evenit, quorum instantes, aut natos paroxysmos, ceu signum pathognomonicum praenunciat, comitatur. Haec sedula caussarum trutina Medicum docebit de dogmatica medendi ratione, ne ex neglecta caussa, aut praeposteris remediis multa sequantur infortunia, inter quae diabetes est, morbus molestia, et discrimine plenus. Notare quoque juvat, hanc urinae copiam in spem erigere debere

Medicum, quum in declinatione morborum acutorum erumpit, aut post humidi in corpore affluentiam, ut in hydropicis, leucophlegmaticis, post metastasim ab alvi fluxu, ab uteri in puerperio suppressis evacuationibus, aut post largiores haemorrhagias.

XIII. Ut largior justo emissa urina in imperfecta sanguinis mixtione mala est, ita hujus notabilis imminutio sanguinis, aliorumque fluidorum a naturali statu recessui cognoscendo suam cum aliis rerum adjunctis symbolam conferre certissimum est. Qua in re sciens, ac prudens Medicus est, aliis signis cum urina reddita comparatis, morbos definiet, si in sedula aetatis, temperamenti, sexus, usus rerum non naturalium, praecipue alimentorum, et potulentorum, tum remediorum in morbis adhibitorum, tandem variorum aegritudinum temporum, et accessuum cognitione versabitur; ab his enim in examen vocatis rite deliberare poterit. Explorata res est, quod morbos spectat, in febribus, et morbis, quorum caussa proxima lenta est, inflammatoria, rheumatica, aut huic affinis, parcius urinam mitti; constat enim ex pathologicis observatis, lentorem, sive praeexistat in febribus acutis, sive per has evolvatur, ab humorum immeabilitate pendere, hinc liquidioris partis defectum sequi, imminuique ne-

cessario cum aliorum humorum, tum urinae secretionem: verumtamen, ut ab imminuta lo- tii quantitate, potissimum in dictis febribus haud fallamur, harum stadium considerandum est. Ratione, observationibus, et experientia probatum est, a nimio febris impetu, et calore compingi humores, attenuatos iri a moderato ipsius vigore; prudentia igitur opus est, ut sta- tuatur, an inter signa morbum indicantia uri- nae parcitas, si hujus initio, vel augmento eve- niat, reponenda sit, et actuosa remedia sol- ventia in usum extemplo vocanda sint, an po- tius naturae viribus arte prudenter adjutis opus sinendum. His in circumstantiis concomitantia phaenomena, pulsus nempe conditio, calor, aetas, temperies, respiratio, ante actum vitae, vivendique genus Clinicum admonebunt, aut de mittendo sanguine, et hujus quantitate, aut de idoneis externis, internisque remediis. Ge- neratim in mittendo sanguine cautus sit Medi- cus, ne *nimia festinatione, et voluptate*, ut inquit Celsus (lib. III, cap. IV), *periculosa* febrim, ceu remedium solvendis humoribus aptum, praetermodum sopiat, impediatque len- toris solutionem. Haec cautio summopere utilis confirmatur, ni mea me fallit opinio, a critico, ut superius dictum est, urinae profluvio in de- clinatione febrium acutarum succedente. At

dum haec propono, vos quoque admoneo de errore, quem non pauci phlebotomiae osores patrant, morbi, humorumque solutionem solis naturae viribus committentes, licet plethora vera, hujus caussae praedisponentes, occasionales, aetas, tempestas, et gravia morbi phaenomena hanc suadeant; plus enim opportuna sanguinis missione, et repetita, si necessitas est, proficimur, quam aliorum mori obsecundantes, qui omnem, ut inquit Van-Swieten (de febr. in gen.), movent lapidem remediis actuosis sudoriferis, attenuandi scopo. Ne erremus, immortalis Hippocratis Angli vestigiis inhaerendum est, qui longa edoctus experientia didicit, scriptumque relinquit, justum febris moderamen princeps esse inter attenuantia remedium. Pauca, mucosa, et pallida urina generatim morborum propria est diathesi rheumatica affinium: si vero parca, aquosa, et turbida apparuerit una cum pulsu debili, ad soporem proclivitate in laxa temperie, et frigida, pallidoque cutis habitu de imminuta cum universi corporis, tum particulari renum actione merito dubitabitur. Neque dissimulandae sunt innumerae aliae hujusce imminutae evacuationis caussae, quas vel metastasis, vel partium contiguarum in vias urinae pressio inducere possunt, ut humor podagricus, arthriticus, rheumaticus, virus

variolosum, subtilissima succi nervosi acredo, salsus, herpeticus humor, caetera ad renes, et vesicam delata: vel graviditas, mensium, lochiorumque suppressio, alvus stipata, tumores multigeni uteri, vaginae, perinei, prostatarum, intestinorum, relinquarumque partium adjacentium, quorum naturae, et caussis rite perpensis varia, et idonea praesidia medica, et chirurgica aptari debent.

XIV. Ordo nunc postulat, ut in lotio contenta examini subjiciamus. Missis, quae penes aliquot medii aevi Scriptores notata legimus, circulo nempe supremam urinae partem ambiente, bullis, et harum numero circa hunc sitis, aliisque non paucis delirium anile redolentibus, ad ea properabimus, quae una cum aliis phaenomenis conditionem morbi praesentis, hujusque futuras mutationes indigitare possunt. Urina citrino colore plus, minusve tincta, seu levi turbata nubecula ab homine sano emitti solet. Ab hac si recedat conditione, quidpiam morbosi in melius, aut pejus vergentis indicat. Subrubra cum levi sedimento in morbis longis subactionis, coctionisque signum est materiei morbosae, uti salubres hae mutationes ab urina rubra albo sedimento onusta conjici possunt in morbis acutis. A speciali contentorum in lotio qualitate, et consistentia multiplices alias cor-

poris conditiones Medicus noscere, et conjectari liquido potest, prout vel sunt per totam urinae massam dispersa, aut lateribus matulae accreta, vel ad superficiem liquidi collecta, aut in medio natantia. Urina turbida permanentem fomitis morbosi cruditatem notat, observaturque in morbis ventriculi, et pulmonum. Quum contenta lateribus vasis adhaerent, arthriticam, nephriticam, aut scorbuticam diathesim plerumque arguit urina, ex qua in multis, ni remediis idoneis, et promptis huic occurratur, sabulones, arenulae sequuntur. Materies supernatans exitum humoris soluti, ad corruptionem proni inutilem demonstrat, timendumque de corporis emaciatione, ut copiosa spuma, et persistens bona nota non est. In morbis acutis suspensa in medio frigefacti lotii nubecula delirium, phrenitidem, convulsiones juxta rerum adjuncta minari solet. Conspicua materies in quiescente urina ad fundum matulae subsidente, quod *sedimentum* vocatur, multo plura, et evidentiora praebet signa diagnostica, et prognostica. Generatim ab hujus copia caussae morbosae quantitas metitur, et solutionis morbi, caeteris consentientibus, fere die dicta. Si vero deficere iterum, aut vix apparere incipiat, aut praefinitis diebus spem fefellerit, bonae frugis esse non potest, ceu retentae materiei, difficiliusque

subigendae argumentum. Varius sedimenti color varia patefacit. Albus, et constans criticus salutem pollicetur. Croceus bilem sanguini interdum affusam, ut in ictericis, enunciat. Scire namque oportet, urinae flavedinem in morbis acutis saepissime ab alia caussa repetendam esse: ex progressivo, et intestino sanguinis motu immaniter adaucto, quod aqueum magis est, dissipatur, evolviturque principium phlogisticum, aut ut aliis magis placet (Jo. Franc. Scardona de febr.), sulphuricum, quod subrubro, flavoque colore urinam tingit. Hoc monitum cautiores vos reddat, ne, ut passim evenit, ab hoc decepti in morbi significatione, et hujus obeunda cura a recto itinere deflectatis. Profunditur saepius biliosum vocabulum, et nimium frequens eruitur bilis corrigendae, evacuandaeque indicatio, interea dum longe dissimilis caussa erit hujus coloris, proptereaque diversa huic occurrendi ratio. Et sane spirituosorum abusus, protracta vigilia, exercitia immodica, fervens syrius, aliaque huic inducendo colori propria sunt; quin, ne suboscurum quidem bilis in sanguine aberrantis indicium sit, experientia constat, quemlibet humorem acredine, vel visciditate peccantem colore flavo, subrubro humores utplurimum inficere: evanidus herpes, lenta variolarum, morbillorumque eruptio, ho-

rum, et scabiei retropulsio, diathesis phlogistica rem in propatulo ponunt. Tunc prudens erit Medici judicium de corrigenda bile, et apto tempore eliminanda, quum nauseae morbum anteverterint, aut comitentur una cum ructubus nidorosis, cardialgia, alvo biliosa, et praecesserint erysipelata, jecinoris congestio, gravia animi pathemata, accedantque his faciei color pallido-ictericus, terror, metus, pulsus celeres, frequentes, non elati, sed debiles. His numero pluribus, minoribusve succedens urina flava, subrubra, aut pellucido-flammea, quae tertianam continuam fere semper comitatur, bilem a naturali statu alienam, et sanguini admixtam indicabit, cujus emendatio praecipuam etiam in implexo morbo sibi vindicat curationis partem. Haec conjunctorum series, et caussarum adeo ne frequens adduci potest, quum de morbis acutis praecipue inflammatoriis agitur, inter quorum phaenomena urinae, earumque sedimentum saturo colore flavo tinguntur? Penes cordatos judicium esto. Farinosum, ad rubrum vergens, fere constans, nec vasis parietibus inhaerens sedimentum, quod *lateritium* vocant, signum est (quod raro fallit) febris intermittentis : si vero rubra sedimenti pars uroscopii lateribus adhaerescat, aequa videtur de scorbuto dubitatio. Leve, aequale sedimentum in

morbi statu, et circa dies criticos copiosius bonae coctionis, et solutionis morbi signum est, eo vel magis, si sensim, decrescente morbo, imminuatur. Oppositae conditiones contraria praesagiunt. In acutis morbis quum pauca urina est, atque confusa, et id, quod subsidet, per liquoris ambitum floccosum adinstar dispergitur, visciditati caussa morbi tribui jure potest difficilis judicationis: difficilioris, si pulsus explorentur inaequales, parvi, confusi: difficillimae, si morbum pectori insidentem significet gravis, anhela respiratio. Liberum enim, ob impeditam pulmonum dilatationem, sanguinis a corde dextro per ipsos transitum, aut sanguinis per arteriam pulmonalem, potissimumque per ultimas hujus angustias (ut evenit in morbis pectoris inflammatoriis) transmittendi immeabilitatem arguit. Si crassior urina ex rufa, et tenui in morbi statu appareat albo, copioso sedimento fundum petente onusta, salutem brevi redituram aegro pollicebimur: sin morbi initio copiam sedimenti exhibet coloris lividi, glauci, viridisve, nedum summa morbi cruditas praesumi potest; sed ea morbosi fomitis copia, et malitia, ut naturae vires hisce vincendis impares quisque prudens conjicere possit. Neque de rebus aegri fauste sperandum est, quum, evanido hoc sedimento, tenuior extemplo urina

fit, inconstans, turbida, aut crystallina, spumosa, vel quod tristissimum est, cum nigra nubécula ad superiora inclinante (vid. Barkausen, Nenter, De-Gorter, Scardona, Boerhaave, Van-Swieten); subest enim metastasis timor ad viscera vitalia, ad nervos, ad caput, catarrhi nempe suffocationem minantis, convulsionum, delirii. Terret denique urina pauca in morbis acutis, in qua descendunt livida nigra, et una emergunt pulsus debillimi, celeres, cutis exsucca, urens, anxietas, inquietudo; de humorum enim indole ni praesente, saltem imminente dubitari jure, et merito potest. Ab his, AA. OO., colligi potest quanti facienda sint in diagnosi, prognosique morborum hujus sedimenti copia, natura, et color. At tutior erit aetiologia, cautiorque praedictio, si, ut alibi innuimus, critica morbi tempora, quae a Veteribus coctionis tempora nuncupantur, exactissime notentur. Quae proposuimus sunt praecipua cum diagnostica, tum prognostica signa, quae ab urinae inspectione in morbis desumi possunt, quorum utilitatem in praxi speciali morborum particularium quisque cordatus dignoscere poterit; sed de istis jam satis.

XV. Inter functiones naturales, quarum recessus a naturali statu morbosam corporis con-

ditionem significare possunt, alvus quoque est. Multas ab alvi excrementis deductas significationes literis consignavit HIPPOCRATES, quas in latinam linguam vertit Cornelius CELSUS (cap. III, lib. II). Alvi dejectionem optimam dixit, quae mollis est, compacta, subfulva, non valde graveolens, prodiens hora consueta, ingestorum quantitati respondens; haec enim naturalem bilis ad intestina fluentis indolem, debitamque copiam indicant, necnon motum peristalticum intestinorum, quo in ipsis contenta per longos anfractus ad anum usque descendunt, aequa vi fieri, et determinato temporis spatio, licet in variis varium saepissime sit. Praecipuas nunc perpendamus oportet notas (omnes enim, et singulas ordinatim perstringere nec tempus, nec infinita propemodum observationum copia sinunt), a quibus Practici laesae hujus functionis caussas, bonamque, vel malam prognosim inferunt. Quantitas, consistentia, odor, et color has sistunt. Praemittamus oportet, parciorem in quibusdam, in aliis copiosiorem, licet eadem sit alimentorum natura, et aeque sanitas vigeat, esse foecum copiam. Non pauci sunt macilenti, et strictae, ut ajunt, temperiei, quorum viscera chylopojetica pollent adeo viribus, ut subtiliorem ingestorum partem absumant; hinc foeces crassis in intestinis colle-

ctae arescant, exque defectu muci haec leniente congerantur, alvusque pertinaciter compressa evadat, oportet. Sunt alii, qui ex allatis, ex pedissequis non raro ob longam pressionem haemorrhoidibus alvo stipata laborant. In utroque casu vos monitos volo, ne festinetis usum purgantium praecipue acrium laxandi scopo; haec enim stimulantibus, quibus scatent, principiis, dolores, tenesmum suscitabunt, et ex repetito praepostero usu saepe aliis aerumnis viam sternere possunt: et quod praecipuum est, experientiaque firmatum, alvus horumce vi aperta tenacius, quam antea occluditur. Generatim multo magis proficitur clysmatibus emollientibus, blandis eccoproticis, subacidis refracta dosi, et iterata propinatis, aut saponaceis, quae salivae, succi pancreatici, gastrici, enterici, bilis aut defectu, aut indole peccantium munere fungantur, quam iis, quae convenienti humido privant intestina, haecque ad siccitatem disponunt. Cur a nimio vomitu, ab urinae profluvio, a profusis sudoribus alvi obstipatio? *Quod pressionem attinet ab haemorrhoidibus*, inquit Jo. De-Gorter (syst. prax. §. 253 de haemorrhoid.), *quum haec evacuatio venae sectione imitari nequeat, unam, aut alteram haemorrhoidem fotubus, vel admota hirudine apertam facere jubent prudentiae leges.* Aliud est

in morbos, et caussas animadvertere, quae alvum reddunt adstrictam, aliud caussam hujus obstipationis considerare morbo supervenientis: quocumque sub respectu horum ineatur ratio, multa semper opus est circumspectione, non secus, ac in illis, quorum alvus ex natura fluxilior est, quaeque nec praeproperis, inopportunis remediis sistenda est. Porro quum excrementorum consistentia, color, et odor varia in morbis significare Medico possint, attentum animum intendat oportet in caussas morbum facientes, harumque naturam, quibus cognitis distinguere rite sciat, an suppressa, vel fluens alvus bona, vel mala sit, seu, ut loquuntur Practici, critica, an symptomatica. Artis enim lex est, nedum morbos devictos iri, quum materies subacta, coctaque; sed ejusdem requiri per idoneas vias evacuationem, quae ab aegro (quod alterum receptum est monitum) facile feratur. Neque illorum adhaerendum est opinioni existimantium, Medicum suo functum esse officio, si de computo dierum, deque prognosi tantum sollicitus, ceu spectator reliquum sanationis committat naturae viribus, neque consideret, num victrix natura morbum perfecte superatura sit, an victa morbo cessura, an in medio certamine morbus non dirimatur: seu, ut clarius loquamur, non cogitat, utrum bona,

vel mala, aut imperfecta crisis sit. Ut ergo tuto, quantum fieri potest, incedat pede Clinicus, expendat, num initio morbi, et progressu indicia sint cacochymiae, uti nausea, vomendi conamina, caetera, et perseverent: num vis vitae subactam materiem nimio impetu, morbo declinante, per alvum moveat cum virium detrimento, an morbus spontaneis naturae motubus, vel arte adjutis stadia sua debite emetiatur. Hinc aut propinatum initio morbi emeticum (dummodo nulla fuerit contraindicatio) praesentaneum esse potest, ut in morbi declinatione proficua sunt cardiaca temperata: utroque siquidem in casu ars naturae operanti auxilium praebet, aut infortunia avertens, quae in progressu morbi ex nimia humorum copia nata subactionem, et coctionem turbare possunt: aut impediens, ne vires naturae dejectae morbi judicationem absolvere nequeant. Quod si aequos intra limites morbus continebitur, aureum Hippocratis Angli monitum sequendum est, nil scilicet esse movendum, nisi *quidpiam aegrorum vel adstantium vincendae importunitati, salvis aegri, et curantis rebus, praescribi debeat* (sect. 1, cap. 4).

XVI. Ab his in universum traditis consequitur, malam non esse copiosam, et faciliorem quacumque in temperie excrementorum

per alvum depositionem, si collecti fuerint alieni humores in ventriculo a nimia ciborum ingurgitatione, et retentione, quinimo ceu criticam, seu salutarem hanc haberi posse in apepsia, dispepsia, anorexia, cruditate: tandem hanc sistendam non esse, nisi ejectum fuerit alienum. Ex adverso in febribus acutis, inflammatoriis, ardentibus, quarum caussa proxima humor est lentus, tenax, alvus soluta generatim mala est, aut si adstricta fuerit, solis diluentibus, subacidis solventibus, refrigerantibus laxanda est, rarissime alvum moventibus, si simplices clysteres excipias; atque in his potissimum morbis locum habent Hippocratis verba: *corpora, si quis purgare voluerit, meabilia facere oportet* (aphor. 9, sect. II). Cur in principio horum morborum a phlogistica diathesi, vel acriori, et putrescente bile, quae saepius hos incendit, progenitorum alvus fluxa, ceu symptomatica nocet quammaxime, eo vel magis si olidissima est? Humorum enim ad putrem solutionem pronitatis praenuncia est. Lethalis quoque est alvi fluxus in peripneumonia, in pleuritidis initio; sputa enim supprimit, auget concretum inflammatorium (Gerard Van-Swieten tom. III, pag. 48). Optimam e contrario ab hac copiosiore evacuatione eliciet prognosim Medicus, si febris intra justos motuum limites erit, si debito tem-

pore adparuerint cum in hac progrediente, tum in aliis excretionibus subactionis, coctionis indicia, eo vel magis si his respondebit symptomatum mitigatio. Spem quoque boni exitus facit alvi fluor in morbis, in quibus vasa capitis nimis urgentur, puta in ophthalmiis, phrenitide, mania (Thom. SYDENHAM sect. I, cap. IV); quandoquidem praeter morbosi fomitis evacuationem vasa viscerum imi ventris impulso sanguine minus resistunt, et humorum copia e capite perbelle avertitur. Hanc suis temporibus jam notavit HIPPOCRATES caput inter, et alvum communionem: *quibus biliosae*, inquit, *sunt dejectiones, surditate orta, cessant, et quibus surditas, biliosis obortis evacuationibus, cessat* (aphor. 28, sect. 4). Caute cum diarrhoea agendum est, quam gignunt animi pathemata, passio hysterica, dentitio, convulsiones, graviditas, puerperium: prudentiores Clinici docent a purgantibus etiam lenibus abstinendum esse, quum haec a nimio intestinorum motu, aut ex consensu fit, idoneis remediis utplurimum compescenda. Non ita putandum est, quoties humores digestioni famulantes vitiati fluxum comitant: prompta horum evacuatio, eo, quo vergit natura, primum molienda est, dein alvus sistenda anodynis, leniter adstringentibus (Jo. DE-GORTER syst. prax. de diarrh.).

XVII. Haec de generalibus monitis, quae ad alvum attinent strictam, et laxam pertinent: nunc illa subnectemus, quae a foecum coloribus, consistentia, et odore nosci, et praedici solent. Albidae foeces, albae, aut pallidae imminutionem, aut defectum secretionis bilis, aut hujus impediti quoquomodo ad intestina fluxus, vel interceptam chyli absorptionem indicant: porraceus, viridis, aeruginosus bilem degenerem, et ad corruptionem pronam ostendit. Cinereus, griseus, fuscus, ferrugineus semper humorum corruptelam indicat, inquit Jo. De-Gorter (de alv. excrement.); qua in re consideratus esse oportet Medicus, ne ex hoc colore deceptus caeliacam passionem credat: in hac *pepsis* valet, hujusque caussa tantum pendet a vasorum lacteorum obstructione. Nigrum quod spectat foecum colorem, bonus esse potest, si ex sanguine fiat haemorrhoidum: malus, quum ab altioribus intestinis depluit: est pessimus (quod apprime notari meretur), quum a materia sphacelosa exoritur. Hujus diagnosi plurimum confert specialis evacuationis foetor periculo plenus: at evidentiorem adhuc, certioremque hujus coloris notionem assequemur perpendentes consuetas evacuationes, doloris sedem, praegressos morbos acutos, chronicos: et, si de fluxu hepatico loquamur, in quo co-

piosior humor serosus nigricans egeritur, ab hepatis morbis, aut caussis hujus actionem debilitantibus notionem eruemus. Caeterum ille versatus erit in arte, qui omnia sedulo colliget, ut rite perpendere possit, an ex morbi natura, an ex eduliis, medicamentis (ut alibi dictum est de urinis), an ex praegressis repetenda sit haec colorum caussa, et varietas. Foecum pariter consistentia suam confert symbolam morborum diagnosi, prognosique: quae foeces ex compactis, configuratis, liquidiores fiunt, tenuesque ex mala ventriculi actione, seu digestione malum portendunt, cui ni quantocius, et rite occurratur, de colliquatione ex nutritionis defectu nata verendum est: bonam portendent, seu criticam evacuationem, si humidi copia praecesserit. Mali semper sunt ominis tenues, durae, caprinae, siccae, cimosae, grumosae: praeter difficilem egestionem, quae saepe aliis morbis abdominis viam parant, occasioni quoque esse possunt capitis, pectorisque morbis. *Excreta, sanguinis, humorumque*, ut inquit Gerardus VAN-SWIETEN (tom. III de cachex.), *indolem sequuntur; sic ubi acrimonia alkalina adest, urina acris, crassa, fusca, spumescens, foetida excernitur, foeces alvinae cadaverosum odorem habent.* Qua de re, si excipias infantes, quorum excrementa nul-

lum odorem spirant, foeces inodorae malae sunt; alienus vero odor, nisi ab ingestis, aut diuturniori in intestinis mora proveniat (quae caussae cibi mutatione, vel alvum laxantibus facile emendari possunt), malum semper ominatur. An ab humorum affluentia, an a praecipua acrimonia mali odoris caussa repetenda sit, morbi praegressi, labes insita, victus, vivendique ratio, rerum adjuncta, ut paucis dicam, lucem afferent. Qui majorem hujus naturalis actionis illustrationem desiderat, adeat, ut alios innumeros praeteream, Cornelium Celsum (cap. iii, lib. ii), qui latina lingua interpretatus est ea, quae memoriae prodidit immortalis Hippocrates, tum Jo. Conr. Barkausen (collect. med. pract. gener.), et Josephum Lieutaud (de multipl. alv. fluxu incruento, synops. univers. prax. med.); satius in praesens ducimus hujus excretionis disquisitioni finem imponere, quaedam monita tradentes de purgantium usu in convalescentibus nimis frequenter, et saepe noxio, necnon in febribus continuis. Nemo negabit, exanthlato morbo, functiones omnes minus expeditas esse, lentas fieri cum alimentorum digestionem, tum boni chyli praeparationem, alvi excretionem, caetera. His superandis remedia a multis (quicumque fuerit morbus) propinantur in convalescentia alvum

cientia, et saepe non mediocria, ut vestigia, quae superesse credunt, morbi non penitus debellati eliminentur; at qui perpendet, vires solidorum, debitamque fluidorum crasim nonnisi lente restitui, diaeta potius accurata, quae in exacto omnium corporis, animique actionum moderamine consistit, quam in purgantibus, languorem morbo superstitem levandum esse dijudicabit. Quum Medicus inter convalescentes versatur, qui ex aliquo sanitatis sensu sibi nimium indulgentes, aut ab amicis excitati in ciborum quantitate, et ordine, virium restaurandarum caussa, inque somno diutius protracto, et fuga aëris liberioris totam spem collocant, prudentior ille erit, qui hos sanis potius diaetae, exercitii, et aëris usurae legibus paulatim adstringet, quam purgantium usui. Constat enim experientia, confirmaturque ratione, appetitum ciborum jam jam motum, si decrescere incipiat, magis adhuc dejectum iri, et protrahi purgantium usu; cuilibet enim attento corporis nostri scrutatori patet, classicas, et vitales solidorum vires, tum fluidorum crasim moderatis motubus, haud irritantibus, purgantibus sustinendas esse, confirmandasque: roborantia, stomachica debilitatem corrigent, genuinum naturae ordinem in instaurandis viribus, et elaborandis humoribus restituent. At

quamvis haec ita se habere credamus, concedimus tamen nimiam saepe edendi cupiditatem convalescentibus ita nocere, ut nisi ad purgantia confugiat Medicus, inevitabilis fere sit novi morbi generatio. Hoc in casu morbi naturae, et caussae consulendum est. Si febris, ex. gr., intermittens fuit, et nimius, viscidusque cibus paroxysmos revocaverit, novam sane morbus expostulat curationem, quum vires a primo morbo adhuc debiles, et a recidiva depressiores movendae materiei denuo collectae, expungendaeque impares pejorem conditionem efficiant, et nisi prompta medela sit, contumaciores redeant febris accessus. Sed ut in hoc casu, ita in quocumque languore post febrim relicto, multa opus est circumspectione in remedii selectu; non enim promiscue resolventia, roborantia, aut purgantia protinus danda sunt, sed rerum conditio, quae apta erunt, indicare debet. Si nauseae, oris amaror, linguae sorditas, aut vomendi conamina, habita praegressi in usu rerum non naturalium erroris ratione, sedem morbi in primis viis ostendent, blando laxante morbus imminens praecavendus est, non roborantibus, quae licet malum coërcere quodammodo possint, numquam tamen morbi caussam ad veram aegri utilitatem evacuare poterunt. Dum haec proficua commendanda sunt, quoties curatio

soli corrigendae debilitati accommodanda est, neque stomachica, roborantia praesidia locum obtinebunt, quum de infarctu viscerum imi ventris quartanae, quotidianae utplurimum succedente agitur; saepe namque hujusmodi oppilationes, et ab his languores, ni cauta, et idonea fuerit medendi ratio, lentis febribus occasionem suppeditant. Quum vero purgandi est indicatio, perpendendum est, an conveniant illa, quae licet imbecillis aegris ceu sordes primarum viarum subito promoventes prosint, ventriculum tamen, et intestina, ceu relaxando rursus debilitant, et ad bonam denuo efficiendam digestionem reddunt minus disposita: an quae utrique affectui prospiciunt. Inter prima sunt, quae *salina* dicuntur, *mannata*, et alia, quae lubricam faciunt alvum, quorumque proprietas etiam est nedum attenuandi mucum *entericum*, sed solvendi, expellendique humores digestioni famulantes. Ab his alteram colligite, AA. OO., cautionem, in horum, aeque ac resolventium usu servandam, ne scilicet oedemata, quae passim notantur post febres intermittentes, ex adaucta humorum tenuitate, solidorumque laxitate pertinaciores fiant. Inter secunda reponere juvat illa, quae dum alvum blande movent, vi quoque pollent roborante, et bilis lentorem, ac inertiam corrigente, excretionemque alvinam

restituente, ac augente, uti *rhabarbarina* aut sola, vel liquoribus salinis mediis sociata, *gummi saponacea*, quandoque *aloëtica*: licet concedamus caute cum his agendum esse in illis, quorum corpora sicca jam sunt, humoribus destituta, et, si de aloëticis sermo fiat, ad haemorrhoides, et alvi siccitatem praedisposita. Ad febres continuas quod spectat, hae vel mites sunt, vel maligniores, seu, ut loquuntur Practici, intestinales. In primis, quum saburra, siquae est in primis viis, cum febre non moveatur, purgantibus agitanda non est; natura enim instauratis viribus, et arte adjuta, prophylactico nimirum diluentium, et subducentium usu haerentem morbosam materiem coërcet, educit. Neminem fugit, quantum sibi officiant illi, qui sponte, vel ab ignaris decepti febres catarrhales discutere tentant fortioribus purgantibus, dum his morbum in dies exasperant. Si vero de aliis febribus, quae maligniores sunt, vel, ut ajunt, intestinales, loquamur, vel harum initio turgescentis materiae indicia sunt in primis viis, puta nausea, vomitus, aut vomendi conatus, cardialgia, ructus, lingua sordida, caetera, tunc lenioribus vel per superiora, vel inferiora magis indicatis evacuationibus uti, periti Medici est: sin horum nihil urgeat, quum intra quintam, vel septimam diem absque

insigni virium languore solvantur humores, satius erit diluentibus, laxantibus spontaneas naturae vires promovere, quam irritantibus turbare. At quum secundas vias materies morbosa subiit, blandos humores infecit, jamque hos ad corruptionem pronos reddidit, quin imo principii acerrimi, soluti argumenta praebet, uti sunt purpura, febris petechialis, aut alia quaelibet mali moris efflorescentia, prudentum consilio adhaerentes, promptum usum leniorum laxantium, et si indicentur, purgantium subacidorum, seu antiphlogisticorum, quibus acredo, aestus, vehementia morbi contineantur, suademus: promptum inquam usum, quum ab his utilitas frustra expectetur, si eo devenerit morbi genium, ut nervorum vim prorsus extinxerit. Haec repeto hic loci, ne animis vestris insideat timor exhibendi memorata laxantia, purgantia, aut clysmata, quoties exanthemata sunt, ea, quae rerum adjuncta postulant, circumspectione. An solutio humorum, et efflorescentia promovendae sunt regimine calido, et sudoriferis? *Habitus cutaneus*, inquit Gottlieb Ludwig (advers. medic. practic.), *materiam dissipandam in febribus exanthematicis difficile suscipit, teste experientia.* At febre superata, licet quaedam veluti scintillae sub cineribus haereant morbosae particulae, quae malorum successionibus esse

possunt occasioni, tamen si exquisito regimine et accurata diaeta consulet Medicus, secretionibus, et excretionibus fugantur, et auxiliis blande corroborantibus restituitur actionum alacritas: ex adverso acriora purgantia vires, quae jam dejectae sunt, magis magisque deprimunt, et saepe, quod experientia evincitur, relictae a morbo acredinis ad imi ventris viscera metastasis initium est aegritudinis chronicae. Quot ex hac caussa lenti viscerum pectoris, abdominis infarctus artem quamlibet superantes notant periti Clinici? Idoneus usus rerum non naturalium nutritioni favens reparandae saluti princeps auxilium est.

XVIII. Quamvis difficile in arte nostra judicium esse abunde probant hactenus exposita, hoc tamen nobis persuasum magis erit, si alia scrutabimur, quorum diligens consideratio instituendis morborum diagnosi, prognosique plurimum conducit. Inter haec enumerare fas est functiones vitales, animales, partium colorem, aetatem, temperamentum, sexum, idiosyncrasiam, vitae, vivendique genus, aegrorum adstantium interrogationem. Quantae siquidem necessitatis sit, aequum inter innumeras fere caussas cum externas, tum internas judicium ferre, et ab effectubus, quos edunt, prout hominibus datum est, futura praevidere, probe sciunt illi, qui ratiocinii, observatio-

num, et experientiae integritati consilia sua accommodant; neque aliis principiis freti sapere annituntur. Saepissime namque ipsaemet caussae a quocumque enatae morboso fomite malum aut simile pariunt in quamplurimis, in aliis prorsus dissimile, sive sedem spectes, vel procedendi modum, vel conjuncta, aut exitum. Interea dum eaedem, quin imo vehementiores in quibusdam ad tempus primo silent, dein genio, phaenomenisque affatim diversis evolvuntur: aliis aliquandiu parcunt, et explosi, modo prorsus incognito evanescunt. Haec ne illorum arguunt ignorantiam, aut temeritatem, qui nulla caussarum, aetatis, sexus, temperiei, praecipue constitutionis, anni temporum, caetera, ratione habita, in rectum, perversumque de morbis dijudicant? Innumera sunt alia vitia, quae intimius, magisque clanculum agentia cautiorum Medicorum oculos effugiunt, nec conjectura assequi possunt, quonammodo absque conspicuis signis in corpore tandiu delituerint, aut explicita quandiu duratura sint, quemque exitum habitura. Miram certe suspicere debemus naturae in suis operibus simplicitatem, qua insensiles crises movens pravas caussas subigit, harum effectus dissipat, perque loca convenientia molitur evacuationem.

XIX. Inter functiones vitales enumerantur

sanguinis circuitus, et respiratio, quarum laesiones prosequemur. Quamvis enim his peragendis nervorum, et fluidi nervosi actio necessaria sit, nihilominus quum hujus generis laesionum natura non ita facile possit a nobis intelligi, satius ducimus, harum potius in nostris his animadversionibus effectus tantum considerare, inque horum caussae disquisitionem nonnulla sufficere monita de sanguinis inspectione. Inprimis vos commonefacio de praejudicata quorumdam opinione, existimantium a sola detracti sanguinis notione dignosci posse sanitatis, morbique statum, nullo habito caussarum antecedentium, inhaerentium, praedisponentium examine. Nemo enim nescit, praeter caussas morbi proximas sanguinis soliditatem variatam iri ab aëris constitutione, caeli tempestate, aetate, etc.; quae ni singula Medicus ante oculos habuerit, facillime errabit. Experientia fallere nescia, palam quotidie facit incommoda homines saepe graviter afficientia, quorum inspectus sanguis nihil ostendit a naturali statu alienum; contra difficili conflictatum morbo credideris illum, e quo sanguis eductus varia exhibet vitia, interea dum laudabili fruitur sanitate. Sanguinis soliditas in varias caussas refundi potest, quibus neglectis, aut probe non cognitis, manca est morborum diagnosis, et prognosis. Ratione tem-

periei minus timebimus, caeteris paribus, a densiore sanguinis compage, si illa sanguinea est una cum aetate juvenili, et vegeta, simulque frigida tempestas sit: ab his quod humidum est, facilius difflari, et ad coagulum disponi cuilibet notum est. Sin vero absque hisce adjunctis sanguis densitatem praeter morem adquisiverit, prudentis erit, et rationalis hujus vitii caussam investigare: ac primo considerandum est, num hoc a validioribus exercitiis proficiscatur, ceu aquosiorem partem foras experimentibus, an ab aëris calidi, et frigidi vicissitudinibus, an a profusis aliis excretionibus, puta sudore, urina, alvi fluxu, an a miasmate quodam sanguinem cogente. Inter alia signa, ut in posterum dicemus, his omnibus pondus addent pulsus durities, phlogistica, rheumatica sanguinis natura. Contra si in aegro aetate matura, aut provecta, exercitiis non adsueto, neque ex caeli inclementia decumbente sanguis eductus apparet nimia densitate peccans, de peculiari caussa non immerito suspicabimur. Qua in re non adeo rancida, ut multi sentiunt Novatores, habenda est cum Veterum, tum complurium Neotericorum doctrina, qua a discrimine humoris in corpore praevalentis juxta generales proprietates, ac praecipuas variam mixtionis fluidorum proportionem dignoscere stu-

debant, et juxta sanguinis, pituitae, bilis flavae, vel atrae exsuperantiam aequius de morbo adventitio ferebant judicium, debitamque, omnibus rite pensitatis, curam instituebant; crassum enim sanguinem colore intense subnigro una cum pulsus tensione a bilis atrae copia repetebant, in bilis flavae excessum refundebant, si colore flavo bili proprio, una cum debili arteriarum motu, sanguinem tinctum animadvertebant. At si cum densitate sanguinis laxior erat solidorum compages, pulsus lentus, et debilis, limphae visciditati, ut in obesis, et humore lento frigido affectis observatur, plurimum tribuebant. Propterea licet integrum sit Physiologis pro lubitu in genus doctrinae indulgere, certum tamen est multum inde bonae frugis esse debere Practicis, quum nullam rite suscipi posse morbi curationem absque exacta temperiei consideratione, unanimis sit a medicina condita Medicorum consensus. At quamvis haec ita se habeant, dandam tamen esse metam, ultra quam progredi nefas, existimandum est; sunt enim, qui nimis anxii inquirunt in sanguinis educti qualitates a naturali statu recedentes, alii qui has nihili, aut parvi faciendas esse praedicant. Utrique, nisi quod me fallit, a vero distant. Scire namque oportet, partium sanguinem componentium proportionem mutuam quidem re-

quiri, quae sanitati perfectae maxime conveniat; at credendum tamen non est, hanc esse adeo necessariam, ut quicumque ab ipsa recessus impune ferri nequeat; quotidiana siquidem constat experientia innoxiam fieri in sanissimis hujusce proportionis mutationem. Quid plura? Sexus, aetatis, temperiei, idiosyncrasiae, caetera discrimen, non eadem constituere in omni homine, aut exigere certum est. Vobis novum non est ex repentinis aëris frigidi, et calidi mutationibus insensilem cutis halitum turbari, supprimi, et pedissequam saepe febrim suscitari, quam *rheumaticam* dicunt, cujus lentoris argumenta praebet sanguis emissus, et ex quo rursus mittendi sanguinis non pauci indicationem desumunt. At neque vos fugere debet, sanguinem hyemali tempore ex homine licet sanissimo detractum hanc diathesim saepissime exhibere: alias in validissimis morbis inflammatoriis ne hujus quidem vestigium detegi; ab hoc igitur monito Practico, sponte fluit, illos minus recte agere, qui a sola sanguinis crusta quodammodo rheumatica obducti inspectione ad iteratas venae sectiones confugiunt, functionibus a naturali statu vix, ac ne vix quidem recessis, quibusque in integrum restituendis sufficiunt saepe conveniens diaeta, diluentia, et mitiora attenuantia. Tunc pro vitio haec, et alia quaelibet sangui-

nis mutatio habenda est, si recessum nedum graviorem caussae proegumenae, occasionales, inhaerentes, actionum laesio demonstrant, sed hunc a singulari aegri constitutione valde alienum significant. Hinc silentio quoque premendum non est multorum judicium, quod a flavescente missi sanguinis colore de vitiata bile, ceu proxima febris caussa extemplo proferunt; qui temperamento bilioso donantur, hepate, ut phrasi utar Veterum, praefervido, aut alvi segnitie laborant, eum obtinent sanguinis colorem, ut in quocumque morbo febrili eductus eodem tinctus appareat. Si hujusmodi color stabiliendae caussae febris proximae tuto confert, cur in ictero, in quo multa bilis copia sanguini affusa est, adque menses non raro cum in hoc in orbem rapitur, febris non raro desideratur? Morbos praegressos notare fas est, multiplex actionum naturalium detrimentum, potissimum primarum viarum, et colorem foecum a nativo subfulvo in vitellinum, aut juxta vitiatae bilis malitiam porraceum, aeruginosum mutationes, naturam pulsuum, qui celeres sunt, crebri, vix resistentes, et quod primum est, anni tempestatem, qua ab Hippocrate ad haec nostra tempora bilem exasperari aestivis temporibus constans est observatio (Gerard Van-Swieten tom. II de febribus in genere). Haec

vobis commemoro, AA. OO., ut intelligatis circumspectionem, quam sibi vindicat haec febris, hujusque symptomata, quae licet prima fronte acutum morbum inflammatorium enuncient, re tamen ab hoc plurimum distant, et dissimilem postulant therapaejam. Generatim nocet sanguinis missio; mire prae ceteris indicatis prosunt purgantia rite selecta, et opportuno tempore propinata. Arrepta occasione, vos quoque moneam de discrimine, quod intercedit inter spissitudinem inflammatoriam, atrabilariam, et illam, quae a debilitate fit. Immeabilitatis inflammatoriae conjuncta sunt vitalis humorum impetus adauctus, vasorum in contenta vehemens actio, aestus, et rubor corporis insolitus, pars superior insulae detracti sanguinis pelle tecta subcaerulescente, aliquot saepe lineas crassa, novaculae resistente. Ad hanc disponunt cum propria temperies, tum causae praedisponentes, occasionales: vasa nimirum robusta, contracta, aetas vegeta, temperamentum sanguineum, humores densi, acriores, celerius moti, labores improbi, rerum calidarum, spirituosarum abusus, turbata, suppressa cutanea excretio, cetera. At visciditatis, seu spissitudinis atrabilariae origo, et progressus lente fiunt, neque auctum humorum motum comitem habent, quin potius imminutum; lentus enim pulsus est, frigus

aegrum saepe vexat, sanguis est crassus, concretus, ad nigredinem vergens, et facile scissilis cultro. Causae remotae sunt vehementes animi contentiones, vigiliae nimis protractae, profundae meditationes, longus moeror, cibi austeri, terrestres, carnes sale, fumo, aëre induratae, adstringentium remediorum, et coagulantium abusus, nimia venus, praelongi calidi febriles motus. Quod vero ad illam pertinet morbosam humorum cohaerentiam ex debilitate natam, in immensum cresceret sermo, si omnes, et singulas hujus causas enumerare in animo mihi esset. Hunc igitur contrahens notabo, ex praegressis morbis, a praecipua humorum constitutione, a remediis adhibitis, a victus, vivendique ratione, a morbis haereditariis erui debere, ac posse hujus lentoris diagnosim.

XX. Ut vitiata sanguinis qualitas decipere quandoque potest Medicum, ita cavendum est, ne huic fucum faciat ejusdem bonitas. Et ne longius excurramus, sat erit in variolas, morbillos animadvertere. Licet enim ea sit horum miasmatum natura, ut sanguis ab his infectus densitatem inflammatoriam adquirat, missus tamen instante morbo, ejus est conditionis, ut ab hac bonitatis, non morbi deduci queant argumenta: at pulsus natura, aetas fere semper,

aliaque subobscura phaenomena, potissimumque constitutio epidemica (cui semper aliquid dandum esse in quocumque morbo, docet immortalis Thomas SYDENHAM) personatae huic bonitati nil, aut parum fidendum esse indicant. Multiplex adeo est principiorum in humoribus latentium evolutionis modus, ut absque exacta omnium circumstantiarum indagine incerta sit malae, aut bonae sanguinis crasis inspectio. Quotidiana constat experientia, sanguinem ab aegris eductum gravissimo conflictatis morbo ne minimam quidem medentis oculis subjicere alienationem a naturali statu: altera vice missum, sub iisdemmet febris, hujusque symptomatum conditionibus, malae esse indolis. In difficilibus morbis laudabilis saepe apparet sanguis, contra vitiatus in levissimis. Pulsui credimus fallacissimae rei, ut inquit Cornelius CELSUS, qui, uti urina saepe bonus aegrum ad interitum usque comitatur. Febris quandoque exoritur integra sanguinis detracti crasi: saepius alienatus sanguis in multiplici cachexia nullam edit febrim. Ab hisce confluit: primo, quantum a captu Medici distat intima cognitio partium, ex quibus coalescit corpus, mixtionis, structurae, compositionis, inertiae, mobilitatis, incitationis, conspirationis, e quibus aliae, atque aliae tam salubres, quam insalubres causae, et effectus oriuntur: secundo,

per quam sedulam requiri considerationem status, gradusque naturalis omnium, et singularium functionum, nec non modi, quo quaelibet peragitur, tum conditionum, ac virium, quibus corpus in suis partibus praeditum ad illas absolvendas conspirat. Id GALENO jam notum erat, inquienti: *cujusque morbi tanta magnitudo est, quantum a naturali statu recedit: quantum vero recedat, is solus novit, qui naturalem habitum adamussim tenuerit.* (de method. medend. ad Glaucum). Integram propterea omnium functionum cum omnibus his laesis comparationem esse instituendam, quae illud signum, (pathognomonicum) Medico indicabit, quo fretus in suscepta morbi cura ab erroribus tutius vindicabitur.

XXI. Nunc de functionibus vitalibus, nempe circuitu sanguinis, et respiratione. Sanguinis circuitus ceu princeps oeconomiae animalis functio vel *acceleratus* est, vel *lentescens*, aut *irregularis.* Porro phaenomena, quae hunc indicant, duplici sub respectu considerari possunt. Alia ceu magis evidentia in omnium saepe oculos incurrunt: sunt alia, quorum debita notio nonnisi ab artifice adquiri potest. Communiora signa motus sanguinis accelerati quisque artis cultor colligere facile potest a febre, a spasmo, obstructione inflammatoria: languescentis ab ani-

mi deliquiis, a variis haemorrhagiis cum magna vasorum inanitione conjunctis, ab animi pathematibus, a summa solidorum debilitate: irregularis a palpitatione, pulsu inaequali, et intermittente. Vitium organicum, aneurysmaticum, polyposum arteriarum, valvularum, machinarum uno verbo cordis motui famulantium, ossea, aut rigida harum concretio, sanguinis immeabilitas causa esse possunt hujus motus inordinati, necnon multiplicium vitae incommodorum, puta anxietatis, respirationis multimode vitiatae, languoris totius corporis, debilitatisque, nullius somni, vel abrupti, irrequieti, et ex protracta harum functionum laesione reliquarum corporis secretionum, excretionumque imminutionis, aut suppressionis. At quum a pulsu hae motuum differentiae Medico practico praecipue innotescant, in hunc praestat inquirere. Sanus est pulsus, quum vis cordis efficax est, debita sanguinis copia, et fluiditas, gaudetque arteria vi contractili, et expansili, nilque obest sanguinis circuitui. Ab harum aliqua vitiata conditione pulsus morbosus fit. Vitia tamen cum innumeris modis enasci queant, ad ea tantum nos occupabimus, quae, ducibus multae auctoritatis Viris, observationibus, et experientia, detegendae morborum aetiologiae utilia sunt, missis ceteris pulsuum speciebus, quas nonnulli nescio quibus

ducti rationibus ceu tutum uniuscujusque visceris laesionis signum constituunt, creduntque harum adminiculo recondita omnia fluidorum, solidorumque latentia vitia detegere. Non erubesco ingenue fateri, me ad harum cognitionem nondum pervenisse, profiteorque ea mentis acie me non pollere, aut tactu adeo exquisito, ut singulas, quas passim tradunt, pulsuum differentias assequuturum esse confidam. Me non latent innumerae, quibus irretitur pulsuum doctrina, difficultates: aetas, anni tempora, regiones, temperamenta, animi, corporisque affectiones, res non naturales, idiosyncrasia quantum in arteriarum motum imperium habeant, norunt omnes veterani Medici. Antequam ex pulsu Medicus noscat aegri constitutionem, et futura praedicere possit, quotnon involvitur difficultatibus, et quoties hallucinatur? Prudentis medici est haec omnia rite perpendere, et naturalem, cuique pulsum primo addiscere. *Nonne,* inquit Cornelius Celsus (lib. III cap. VI) *cum pulsu sanorum simili brevi e vivis abeunt multi*? Compluribus naturalis pulsus intermittens est, dum in aliis, si exploratur, tristissimum portendit omen, ut in sequentibus notabimus. Quaedam in homine contingunt, quorum rationem ab iis peterem, qui se se efferunt pulsuum doctrina. Cur in continua cordis palpitatione

pulsus intermittat? Cur debillimo arteriarum pulsu multi ad senium perveniant vix aerumnosum prae illis, quorum pulsus tangentis digitum sat valide ferit? Cur pulsus febrientium aliquando sanorum similes sint? Haec et alia Medicum docent de summa in ferendo de morbis judicio ex pulsu, inque futuris praenunciandis circumspectione.

XXII. Quum pulsus definitam cordis potentiam significet, tum copiam, motumque sanguinis, et varium arteriae statum, considerabimus primo praecipuas pulsuum differentias, quas praeeuntibus sanioribus Practicis, ad quatuor ceu essentiales, et ab omnibus exceptas redigimus. Si arteriarum distentio longa est, lata, seu profunda, pulsus *magnus* dicitur. Concitatior, aut remissior distentio pulsum constituit *celerem*, aut *tardum*: a majori minorive arteriae mollitie, vel rigiditate, *mollis*, vel *duri* nomen adipiscitur. Quarta pulsus species, qui *frequens*, aut *rarus* a Practicis nominatur, a quiete, seu tempore metitur, quod inter unam, alteramque pulsationem intercedit, contractaque perstat arteria. Hae diversae pulsuum conditiones quandoque simul implexae pulsus edunt compositos *vehementem*, et *durum*, *magnum*, et *tardum*, *celerem*, et *debilem*. Praeter haec pulsuum discrimina alia notantur a Practicis juxta inae-

qualem ejusdem arteriae in sua longitudine dilatationem, et ex vario modo, quo a multis digitis simul adplicatis detegitur. Varia sortitur nomina haec inaequalis arteriae dilatatio: pulsus nempe vocatur *formicans, vermicularis, tremulus, vacillans, myurus*, cujus pulsationes paulatim decrescunt, quoad penitus deficiat: tunc pulsus *asphyxia* dicitur, *serratus, recurrens, decurtatus*. Quandoque haec inaequalitas eo peragitur modo, ut in medio fere motu pulsus intercipiatur, binosque ictus fortiores edat: hunc pulsum Practici *dicrotum*, *caprizantem* nominant (vid. inter alios Jacob Nikell, Jo. De-Gorter). Quemadmodum, ut superius notavimus, pulsus intermittens quibusdam est familiaris, ita et hujusmodi rhythmi arteriarum tempore, ordine, vel magnitudine inaequales possunt esse quorumdam proprii; at generatim praeter superius memorata quandoque organica vitia, deficientem cordis, arteriarumque actionem fere semper significant, et in morbis acutis ex nimia horum vehementia mutatam humorum indolem in sphacelum, et mortem brevi cessuram. Alia quoque a Practicis notatur pulsus species, qui *subsistens* appellatur. Hic si ad tempus non satis longum immotus veluti haereat in vehementioribus animi affectubus, in syncopticis, hystericis, in febrium intermittentium rigore, et fri-

gore minus periculum portendit; summum vero in corporibus debilibus, in morborum vigore, morbisque capitis. At licet pulsus inaequalis tristis utplurimum praesagii in morbis sit, vos tamen admonere debeo de quibusdam pulsuum irregularium speciebus, quarum notio in praxi plurimi facienda est. Hi pulsus sunt *dicrotus*, *inciduus*, et *intermittens*, horumque varietatem Franciscus Solano de Luque celeberrimus Antequerae in Hispania Medicus factis, et observationibus in universum evicit. De inciduo quae sunt notatu digna, verba fecimus sudoris monita exponentes, quaedam in praesens de pulsu dicroto, et intermittente cursim indigitabimus, ne data occasione has pulsus mutationes in morbis aut ignoretis, aut despiciatis. Dicrotus pulsus, *resiliens* quoque dictus, est ille in cujus diastole tangentem digitum arteria bis ferit ante subsequentem systolem: ex intervallo inter hos pulsus resilientes majori, minorive proximiorem, remotioremve deducebat indefessus auctor Solano per nares haemorrhagiam. Copiam hujusce evacuationis futuram praesagiebat magnam, vel parvam ex validiore, vel debiliore pulsus ictus robore: quemadmodum carpo, ex quo resiliens pulsus constabat evidentior, naris haemorrhagiam respondere praenunciabat. Haec quamvis sine ulla haesitatione non semper suae

expectationi respondisse ingenue fateatur eximius Vir, e re tamen duco de his vos monitos facere, ut tanti Medici dignitate, et indefessi observationum ad hunc pulsum pertinentium interpretis James Nikell auctoritate permoti ad ulteriorem experientiam hanc pulsus mutationem redigere valeatis. Eadem repetere juvat de pulsu intermittente, quem ceu signum diarrhoeae criticae pronunciavit Hispanus Medicus, proque varia intermissionis duratione majorem, minoremque materiae evacuandae copiam indicari proposuit, addiditque se numquam criticum vomitum absque diarrhoea comite vidisse, nisi huic intermissioni pulsantis arteriae tensio, vel durities adjungeretur: quemadmodum numquam observavit, sunt verba James Nikell, simplicem crisim per urinam sine ullo diarrhoeae concursu, nec aliquod novum signum ejusmodi crisis noverat (novae, raraeque observ. circa variar. cris. praedict. ex pulsu), Haec vero omnia Franciscus Solano tradens non contendit perpetua esse memoratarum crisium praenuncia; sed quum hae pulsuum species adparent, crises, quas innuunt, adamussim subsequutas se observasse testatur: nisi, ut scite animadvertit, natura crisi, quae prius per pulsum indicata fuerat, novam aliam substituat, quo in casu novae molitae crisi analoga fit pulsus mutatio.

Ceterum quum, ut inquit D. Christ. Gottlieb Ludwig. (part. IV, cap. IV de sign. morb. prognost.) *curiosiores pulsuum mutationes, quae in validis morborum mutationibus* v. c. *perturbationibus criticis, vel crisi accedente, vel morte imminente occurrunt, non satis definiri possint.* Medici erit exercitati non unam, sed omnes simul collatas pulsus conditiones rite perpendere, ut de vita praesente, morbi statu, hujus mutationibus, et exitu judicium proferre possit.

XXIII. His praecipuis pulsus mutationibus addemus primum quasdam circa hujus explorandi modum regulas, dein signa a pulsu in morbis communiora a Practicis notata. Inprimis, juxta Cornelii Celsi monitum, probabili sermone, et hilari vultu leniendus aeger est, dein carpo manus admovenda: non uno, sed quatuor digitis moderate calidis arteriam contractet Medicus carpi nullo voluntario motu turbati : digitorum pressio modo major, modo minor, aut lenis discrimina pulsus vehementis, et fortis, debilis, et parvi, mollis, vel duri, aliaque superius memorata patefaciet. Utrumque carpum ad pollicem usque clinicus exploret, et si aliqua ex causa pulsus minus evidens sub tactum cadat (saepe namque natura ludit situ, magnitudine arteriae, hujus in ramos divisione),

hunc aperient arteriae temporum: in hac exploratione cautus et prudens Medicus consideret oportet ea, quae propria sunt aetatis, sexus, temperamenti, regionis, idiosyncrasiae, rerumque non naturalium. Generatim in infantibus creberrimus pulsus est, et parvus, in pueris minus creber, et elatior, in juvenibus magnus, vehemens, in viris rarior, et vehementior pulsus, caeteris paribus esse solet, quam in foeminis, in senibus rarissimus. Gracilibus prae obesis familiaris pulsus major est, fortior, rariorque, quemadmodum in temperamento sanguineo, et calidiore ictus edit arteria prae bilioso, pituitoso, et melancholico majores, crebrioresque. In regionibus, annique tempestatibus frigidis, et saeviente syrio, pulsus parvi sunt, ac debiles, hoc tamen discrimine, ut pulsus parvitati, ac debilitati adjungantur tempore hiemali tarditas, ac raritas, aestivo celeritas, et frequentia. Omnibus notum est, post pastum, somnum, moderatum corporis exercitium illas acquirere conditiones pulsum, ob quas harum causarum nescii de febris praesentia dubitarent. Ad idiosyncrasiam quod attinet, nulla tradi potest norma, quae solis experimentis detegi debet: ex quibus rite captis, aegrique relatu confirmatis de morbi natura, deque praesidiis Medicus tutius deliberabit. Quae communiter a

Practicis traduntur signa a pulsu petenda, diagnosim, prognosimque morborum spectantia, huc ferme recidunt. Debilis pulsus in encephali morbis aleae plenissimus est, compressionem siquidem arte non vincendam utplurimum significat; in morbis acutis spiritus nervosi defectum, hinc humorum solutionem, et mortem portendere solet: in cordis, pulmonum, aut hepatis morbis si debilis, inaequalis, aut intermittens est, interceptum arguit humorum circuitum: in nimiis evacuationibus progressiva pulsus debilitas funestae locum faciet praesagitioni: si in febribus synochis putribus, causo, erysipelaceis pulsus ex vehementi, celeri, et magis minusve frequente celer, rarior, debilisque evaserit, humorum tenuitatem, evectamque ipsorum ad putredinem pronitatem, verbo fatiscentes naturae vires enunciat. Debilis pulsus malus in morborum initio, si paroxysmi febrilis accessionem excipias: at qui talis est in incremento, vel statu semper periculosus. Pulsus languidi, parvi, et tardi imbecillarum virium sunt argumentum: at cum his implexus vermicularis, myurus, et praeceteris formicans mortis proximae praenuncium est: mollis, et amplus pulsus bona spe semper complet Medicum; debitae namque sanguinis copiae, et liberae circuitionis indicium est. Non ita huic fidendum, si de inopia, aut stasi san-

guinis jure dubitabitur: haec namque pulsus mollities, et amplitudo ceu apparentes, et malae habendae sunt. Id passim testantur morbi soporosi, mentis alienationes, morbi pectoris, et multiplex vitiata humorum diathesis. Neque minus fallax, incertique ominis est pulsus fortis, et magnus in apoplexia, lethargo, aliisque affinibus morbis: atque in magnis viscerum congestionibus pulsus fortis, et rarus saepe decipit, quum de quodam potius in circuitione obice, quam de sanguinis quantitate ambigere sinat; quam ob rem omnes causae pensitandae sedulo sunt, ne praepostera, et noxia instituatur sanguinis missio, qua naturae vires morbo vincendo impares reddantur. Neque aliam desiderat circumspectionem pulsus durities ab infarctu, vel materia in contractionem arteriam cogente nata. Pulsus intermittens plus incutit timoris in juvene, quam in sene: ex multigena causa graviore, leviore, universali, particulari intermittere pulsus potest. Uti ex vario febrium acutarum stadio, et ex mollitie, vel duritie, aut varia inaequalitate intermittentiae adjunctis criticas evacuationes, diarrhoeam, vomitum, urinam, sudorem praedici posse superius retulimus, ne dum experientia freti, sed clarissimorum Virorum auctoritate Francisci Solano de Luque, Jacobi Nikell, et Wilhelmi Noortwyk, e quorum fontibus quisque poterit

ampliorem, solidioremque omnium illustrationem haurire. Pulsus myurus, sive deficiens male semper ominatur; virium enim sanguinem moventium, vel liquidi movendi copiae defectum notat, sive ab evacuatione hic pendeat, vel a nimia sanguinis quantitate in plurimis vasis obstructis, et dilatatis congesta: quemadmodum terret illis diebus prodeuns, quibus febrilis materia subigenda, coquenda est, vel critice evacuanda, aut a locis, ad quae decubuit, movenda. Temporis angustiis consulens multa praetereo, quae et a memoratis Auctoribus, et ab aliis innumeris Scriptoribus colligetis. His consulite, et experientiae, intra quam, ut Cornelii Celsi verbis utar, medicina est (lib. 1 de med.), ne in morbis praecipue acutis decipiamini; in his enim non omnino certae praedictiones sunt neque mortis, neque sanitatis, inquit divinus Hippocrates.

XXIV. Altera vitalis functio a nobis consideranda respiratio est. Haec vitalis, et voluntaria multimode turbari potest: 1.º Ratione aërei principii quantitate, aut qualitate peccantis. 2.º Ex laesione complurium organorum et partium quarum actio respirationi necessaria est. 3.º Ex innumeris morbis hujus actionis organa laedentibus. Haec prima fronte vos monent de necessitate studii anatomici, theoretici, et

physiologici fuse, et docte a clarissimis Collegis meis vobis traditi; hoc enim quisque imbutus observationibus, et monitis practicis facilius, et cum utilitate percipiendis paratior certe est. Nimius aëris aestus humorum raritati favens aequabilem circuitum turbat, apparentem inducit vasorum plenitudinem, et anxiam respirationem: adde rarefactos humores aliena subire vascula, et infarctus, rubores, inflammationes varii generis pectus obsidentes pedissequa esse. Frigus e contra, quum humores inertes reddat, eosque ad coagulum, solidas partes ad contractionem disponat pulmones ceu amplissima superficie contactum aëris admittentes coarctat, impeditque liberam aëris inspirationem, et expirationem, ex quo fit, ut tussis, catarrhus, anhelitus, pleuritides, peripneumoniae, aliique pectoris morbi succedant. Ab aëre humido perspirationem praecipue pulmonalem impeditam iri, et solida flaccescere norunt Physiologi, neque ignorant Practici, quantum respirationi officiat torporem humorum cignens, majoremque ad pectus determinans copiam colluviei serosae (vid. card. Pison. de colluvie serosa), quibus ex causis *tussis, notha peripneumonia* (sunt verba clarissimi H. D. Gaubii Instit. patholog. medic. de potest. atmosph. nociv.) *excretio per sputa, urinas,*

alvum copiosior, « aquosi laticis in cellulosa, » et cavitatibus restagnatio, lentor, corruptio » acris, praegravati corporis torpor, febris, » rheumatismus, cachexia etc. » Tandem quum ob amplissimum aëris cum corpore vivente commercium multiplici origine non ita facile eruenda acri principio inquinari possit hoc fluidum, generatim affirmabimus, aërem fermentatione, vel putredine extricatum, diutius terra interclusum, frequenter non renovatum, justo graviorem, aut leviorem, aliena, ut paucis dicam, materia, vapore infectum respirationi infensum esse, variisque modis liberam pulmonum dilatationem impedire. At sanae respirationi ne dum conferunt idonea aëris quantitas, et qualitas, sed liber hujus ad pulmones descensus requiritur: propterea faucium, laryngis, tracheae, bronchiorum integritas necessaria est. Hanc innumerae causae mutare possunt, et insigniter laedere, quas omnes velle prosequi quum non ita facile sit, praecipuas in praesens sat erit vobis indicasse; mucus, lympha, sanguis, pus, calculosa materies bronchia, et aëreas vesiculas saepe opplent. Quandoque pulmonum adcretio cum pleura, mediastino, pericardio: tubercula, abscessus, varices, aneurysmata scirrhus, spuria, vel legitima inflammatio laesi anhelitus causa sunt, ut quotidiana constat praxi.

Porro quum functionum integritati ne dum necessaria sit organorum, vasorum, sed et nervorum sana constitutio, saepius evenit, ut ab his vitiatis morbosa consequatur respiratio vario quidem modo pro varia nervi affectione; hinc debilis, convulsiva, quandoque fere resoluta fit. Praeterea quum ex anatomicis constet, inter potentias respirationi famulantes unam esse diaphragma, saepenumero causae, quae in abdomine sedem habent, liberum hujus descensum prohibent, difficilemque reddunt anhelitum: puta obstructio hepatis, lienis, glandularum mesenterii, tumores varii generis has partes obsidentes, ventriculus, intestina saburra multiplici distenta, doloribus lacessita, graviditas; ex hac etiam causarum dissimili modo agentium vi variae profectae sunt a Practicis definitae respirationis species. Quum motus muscularis, febrilis, aut stimulus ita afficit pulmonum vasa, ut debitae sanguinis per hos trajiciendi quantitati via praepediatur, et frequentior necessario, ac major exigatur respiratio, haec *anhelans* vocatur: si vero semel, aut rarissime haec spirandi necessitas, ampliandi thoracis causa, fuerit, *suspiriosa* nominatur. *Strepens* est, quum a spasmo, compressione aëreae viae summopere arctantur: quum implentur magis, magisque pulmones, neque sarcinae, qua gravantur, quidpiam per

tracheam educi potest, *stertorosa* est respiratio. *Sublimis*, *strangulans* est, quum superioribus costis valido nixu elevatis totum pectus attolli videtur. A tempore, quo singulae respirationes absolvuntur, deducunt Practici anhelitum celerem, tardum, frequentem, rarum. At quamvis huc usque tradita morbosam respirationem enuncient, probe tamen sedes causae distinguenda est, num in ipso pulmonis viscere sit, an in reliqua thoracis fabrica, an in partibus vicinis; sunt enim causae, quae, ut jam dictum est, in pulmonibus haerent, in laryngis cavo, vel tracheae, aut bronchiorum: aliae in pectoris, vel pericardii cavo effunduntur, ut aqua, aër, pus: aliae demum a mala pectoris conformatione, aut tumoribus circa collum, laryngem, asperam arteriam, oesophagum sitis originem ducunt: attentam singulae merentur considerationem, ut detectae causae aequa accommodetur curatio, secus ex impedita pulmonum actione, vitae adeo necessaria anxietas oritur, quae ancipiti vitam periculo premit.

XXV. Praeter adumbratas laesae respirationis differentias, harumque causas, sedula quoque ratio habenda est aliorum morborum, qui licet alio insigniti nomine sint, actionem tamen respirationis perturbant, ac laedunt, puta asthmatis, dispnoeae, tussis, singultus, cantus, loquelae,

quorum discrimen non solum a vehementia, et progressiva causarum vi, sed a modo, quo fiunt, exoritur; alii enim ex impacta pulmonibus materie pendent, juxta hujus malitiam urgent, crescunt, ut in dyspnoea, asthmate, quos morbos, nisi remotio fiat, serius ocius inter successiones morbosas communior suffocatio excipit: alii ab irritatione procedunt, qua sapiens natura foras protrudere nititur omne, quod respirationi contrarium est. Ad tussim quod attinet, animadvertere oportet hanc gigni a causis, quarum sedes incerta esse potest. Quandoque caussae, quae irritamenta ad tussim sollicitant, pulmonibus, bronchiis, tracheae insident, frequentissime acris materiae in has partes, aut vicinas fauces destillatio causa est. Non raro muci lubricandae internae pulmonalis fistulae membranae destinati defectus, alias nimia copia, et hujus crassities: nec raro multiplex inflammatio, aphthae, exanthemata, exulcerationes hoc aëriferum pulmonum systema ad tussim determinant, qua natura vehementi spiritus excussione, quod inimicum est, evertere conatur. Notare quoque juvat tussim consensione ortam: haec ab aliarum partium labe vel stimulo, vel metastasi morbosi fomitis systema respirationis afficit; quotidianum praebent hujus tussis argumentum hepatici, lienosi, aut aliarum partium

imi ventris congestionibus affecti. Quocirca ex anteactis liquet divisio tussis in humidam, siccam, convulsivam, idiopathicam, sympathicam, catarrhalem, stomachicam, etc. Neque latere possunt innumera mala, quae a vehementi, et diu protracta tussi proficiscuntur, interceptus nempe aequabilis per pulmones humorum circuitus, coctio ciborum vitiata ex continuis viscerum universi corporis concussibus, vomitus, herniae, abortus, sanguinis eruptiones, et ab his omnibus multigeni alii morbi, quorum omnium specialem, intimioremque notionem ab his generalioribus hactenus dictis, et ab assidua optimorum Auctorum lectione vobis comparabitis.

XXVI. Ut signa a respiratione prognostica tutiora sint in morbis acutis, scire primum oportet, quibus antea morbis obnoxius aeger fuerit: dein considerare aetatem. Pueris enim familiaris est respiratio frequens, velox, magna, minus frequens, et celer adolescentibus, rarior, et tardior senibus, decrepitis parva, tardiuscula, et rara. Horum praenotio firmioribus praedictionibus occasionem dabit; quemadmodum non adeo facilem ambiguitati locum praebent respirationes, quae vocantur simplices. Magna enim tantummodo respiratio et pectoris, et mentis laesionem indicare potest. (Barkusen loc. citat.), parva vel dolorem partis, aut fun-

ctionis vitalis concidentiam, magna simul, et parva morbum *exploratae rationis*, ut inquit A. D. Gaubius, uti pleuritidem, significat. Generatim inconstans respiratio modo laudabilis, modo anxia et suffocans sensiliores justo nervos arguit organorum respirationi inservientium, aut fibrarum pulmonalium majorem laxitatem, aut spasmum saepe ex muci defectu, aut subtilissimis stimulis natum: haec respiratio hypochondriacis, hystericis, maniacis familiaris est. Constans vero spirandi difficultas eo magis pertimescenda erit, quo tenacior, et diuturnior causa praesumi potest. In acutis morbis deterior, vel auspicatior intra quatuor dies, saepius breviori adhuc temporis intervallo, respirationis conditio est, non vero in longis febrilibus: eadem namque absque vicissitudinibus, ob difficiliorem materiae morbosae subactionem, coctionemque ad multas hebdomadas perstat. Uti magna respiratio, aequalis, facilis in morbis acutis laeti praesagii est, ita lenta, inconstans, et difficilis semper mala censetur. Respiratio velox et laboriosa dubii ominis est in morbo acuto, inflammatorio: lethalis utplurimum, si difficilis, frequens, inordinata, aut luctuosa, vel gemebunda: non solum pessimam humorum indolem, et multiplicem inemendabilem partis laesionem significat, sed convulsiones praedicere solet. In

morbis acutis pectoris spiratio frigida enunciat pulmonum gangraenam, sphacelum, calida, seu fervida ardorem circa vitalia viscera ancipitis exitus.

XXVII. Hactenus enarrata evincunt, ni fallor, quanti Medico intersit sedula functionum naturalium, vitalium consideratio, ut morborum diagnosis, prognosis, et rationalis cura institui possint. Sed quum juxta divini Senis monitum evolvendis morborum causis haud parum conducant inspectio, et sciscitatio, operae pretium est, ut his faciamus satis a laesis actionibus animalibus initium ducentes. Hanc indaginem in duo partiemur capita, quorum unum a sanguine, et nervoso spiritu, tanquam causis universalibus repetendum est, ab organorum particularium sensum, et motum perficientium alterum: primam partem, nervorum scilicet fabricam, actionem, tum organorum musculorumque structuram anatomicis, et physiologicis relinquentes universales tantum motuum laesiones vobis praecipuos faciemus, vitia organorum, quae sensu praedita sunt, aliquanto fusius prosequuturi. Quum absque motu nullae humani corporis functiones obtineantur, quumque numerus, ac modus, queis sanitatis tempore fiunt, pene infiniti sint, mira quoque est laesionum, quibus patent, varietas: quandoque motus major

est ordinatus, aut inordinatus, minor quandoque in organis, saepe extinctus, non raro alienus voluntatis imperio subditus, saepe absque hac validior, debiliorve: ex quo liquet vitalem motum, seu motricem, ut alii amant, facultatem mille modis turbari, extingui posse. Et sane si haec movens facultas subito obnubiletur, deleaturque, nullo superstite motu voluntario, interea dum validior functionum vitalium actio exploratur morbus est utplurimum, praeeunte divino Sene, incurabilis, qui apoplexia vocatur, ut plurimum inquam, quum eveniat quandoque, ut hic morbus naturae viribus idonea, et prompta medendi ratione adjutis a vehementia quidem sua declinet, sed nervorum post se relinquat resolutionem, paralysim nempe, quae alias, non secus ac vertigo, seu objectorum, quae in visum occurrunt, rotatio, hujusmet apoplexiae praenuncia est. Quum vero motus impotentiae sedes varia esse possit, et diversa quidem respectu sensus qui una evanidus saepe est, Pathologi resolutionem partiuntur in universalem, particularem, idiopathicam, et sympathicam, in exquisitam, et imperfectam, in atoniam, si fibras viscerum, vasorumque debilitat, frangit. Neque hac divisione contenti particularem speciali partium affectarum vocabulo enunciant perspicuitatis causa:

hinc paraplegiam vocant, quum musculi sub capite siti resolutione laborant, hemiplegiam, quum unius tantum lateris musculos occupat, ceteras partiales nomine partis laesae indigitant. Inanitio, plethora, vitiata humorum indoles, torpens circuitus, vis nervorum obruta, exhausta, fractus solidorum elater praecipuam, et frequentiorem extinctae vitali vi originem praebent. Nec difficile intellectu est, cur lassitudo (de qua mox dicemus) ac tremor inter praenuncia saepenumero sint morborum a debilitate nascentium. Ut ab extincta vi motrice, quae inertiam significat fibrarum motricium tam singularium, quam in fasciculos, qui motus instrumenta sunt, musculos videlicet, collectarum, causa dictorum morborum deducitur, ita ab invita, violenta, constanti, vel intermissa harumce fibrarum actio morbi resolutioni contrarii, spasmus nempe, convulsio repeti debent. Illum nonnulli in continua, hanc in alternante musculorum contractione (quam alii motum convulsivum dicunt) constituunt. « Perinde fuerit (ut cum H. D. » Gaubio loquamur) num eodem, aut diversis » nominibus utare. Uterque certe affectus ad » idem genus pertinet, partes easdem occu» pat, similesque et causas, et differentias » agnoscit, quin et haud raro alius in alium » transit. Intelligitur adeo Recentiorum distin-

» ctio in morbos tonicos, et clonicos ». (lib. citat. de spasm.) A spasmi directione, motu, et ab his actione laesa varias convulsionis species propriis indicatas nominibus traxerunt Practici. Tetanos dixerunt, quum neutram in partem detortas homo, et inflexibilis distenditur: emprostothonos, quum antrorsum corpus inflexum obrigescit: opistothonos, si versus posteriora rigidum incurvetur. Sed animadvertere oportet, sensum internum, externumque haudquaquam extingui his in convulsionibus, una cum motu in illa obliterari, quae vocatur epilepsia, quaeque in mira, et alterna partium rigiditate, ac omnimoda sensuum internorum, externorumque extinctione consistit. Hanc multiplicem actionum a nimia vi natam laesionem non ita facile definiri posse, testantur Pathologi; « in suo enim » principio, inquit summus Gerardus Wan-Swieten, vix videntur corporei . . . Omnium maxi» me mirabile est etiam, quod in his motibus » excitandis nulla appareat mutatio physica in cor» pore praeter rem mutatam » (de convuls.). Verumtamen quum ex physiologia constet liberum esse commercium musculos inter, et cerebrum, mediantibus nervis, quumque convulsio alterna sit motus excitatio, et excitati suppressio, consequitur, hos convulsivos motus ab omni caussa, quae nos latet, exsuscitari posse, illamque

induci ultimam encephali mutationem, a qua convulsio nascatur: propterea in cerebrum, in nervos, horumque vitiatam indolem, aut impeditam aequabilem distributionem refundi causam jure posse: ab his, ni mea me fallit opinio, facile est colligere, cur omnia, quae cerebri laesiones inducere possunt, aut progressivum sanguinis motum turbare, vel pravam spiritubus nervosis qualitatem conciliare, ceu convulsionum causae habenda sint. Harum censu adscribi possunt minus apta cranii conformatio, depressio, vel ab exostosibus immutatio: aliena corpora in ipsum intrusa, sensilesque cerebri membranas irritantia, vel teneram ejusdem substantiam turbantia: ab his inflammatio, et pessimi hujus exitus: aequabilis sanguinis per encephalum distributio impedita, fluidique nervosi secretio, ac diffusio incondita, intercepta: immodica repletio, aut evacuatio, turbae circulatorii systematis: sanguis acri multiplici scatens principio noto, et ignoto: nervorum compressio ab humorum lentore in tela cellulari hos cingente: languidus humorum circuitus ex rigiditate, ut in senibus, vel ex laxitate, ut in obesis, vel ab exortis tumoribus, vel ex consensu natus, caetera. Quum igitur vis motrix fibrarum suam ducat originem a principio vitali, quumque hanc perquam multiplices, ut audivistis,

causas, vel exstinguere, vel justo intensiorem reddere queant, consequens est summa opus esse attentione, ac dexteritate, ut aequa harum diagnosis, et prognosis instituantur, diriganturque ad causam medicamenta; nullum enim admitti potest generale remedium. Sed de his satis in praesens. Satius sit in quaedam morbosa functionum animalium symptomata, quae frequentissime morbos acutos comitantur, aut praenunciant, paullo curiosius, et ea, qua potest, brevitate animadvertere, nempe lassitudinem, distentionem nervorum, seu convulsionem, inquietudinem, torporem, colorisque mutationem.

XXVIII. Sanus homo quum motubus voluntariis nonnisi cum molestiae, torporis, obtusique interdum doloris sensu fungi potest, lassitudine laborare dicitur: non secus ac evenit illis, qui a nimio, et insolito làbore defatigati sunt. Hujus caussa a multa liquidissimi nervosi succi jactura fit, ob quam musculorum vires inertes evadunt, praeque nimia, et diuturna agitatione languor, sive lassitudo succedit. Haec quum experitur absque tot praegressis laboribus, ceu morbosa statuitur. Ex phaenomenis cum ipsa sociatis variae emanant ipsius species, nempe phlegmonosae, ulcerosae, spontaneae, tensivae; quae sane ab ea lassitudine sunt distinguendae, quam frequentissime perferunt ho-

mines ex imminuta ab aëre nebuloso, pingui (ut inquit Gerardus WAN-SWIETEN de lassitudine) perspiratione. Ab attenta igitur aliorum phaenomenorum notione cum causis lassitudinis comparata haud difficile vera causa deduci poterit. Quum acuta febris inflammatoria ex propriis signis cognita hominem adoritur, et inter hujus morbosa phaenomena lassitudo est, hanc phlegmonosam esse, remediisque antiphlogisticis curandam nemo sanus dubitabit. At quandoque evenit, ut ex praegressis morbis male judicatis labens quidpiam acris morbosi spontaneo naturae motu evolvatur, irritamenta suscitet, quae jam debilitatas ab antecedente malo vires magis adhuc sopiant, gignantque lassitudinem cum distentionis, aut punctionis sensu, quam *ulcerosam* nominant Practici, quamque remediis tractandam esse monent, quae praegressi morbi caussae corrigendae, et per convenientem viam extrudendae idonea sunt. Variolae, morbilli, aliique morbi cutanei perfecte non exanthlati hanc saepe relinquunt lassitudinis speciem. Quae vero spontanea dicitur, alias praenuncia est acuti morbi, saepe argumentum labis humorum multiplicis; illa extemplo se manifestat cum morbo, cumque hoc cessat: haec perseverat diu, neque ita facilis curatu est. Propterea ut hujus lassi-

tudinis curatio rite suscipiatur, considerare sedulo oportet an motuum, quibus coctio, secretio, et excretio perficitur, quaedam anomalia sit. Constat enim ab his vitiatis cruditatem, cachochymiam nasci, hinc multiformem humorum degenerationem, aut incongruam separandorum permissionem, aut miscendorum separationem, excernendorum retentionem, vel utilium evacuationem, a quibus omnibus inepta succo nervoso materia suppeditatur, et via sternitur pertinaci lassitudini; liquet inde, rationalem hujus curam ab illo institui, qui attentam recensitarum causarum, quas specialia symptomata indicabunt, rationem habebit. Neque hic loci praetereunda est lassitudo spontanea, quae scorbuticis familiaris est, de qua Clinicos certiores facient signa characteristica: crurum scilicet praeceteris membris lassitudo, dolores in variis corporis partibus versatiles, maculae subrubrae primum,dein lividae, oris foetor, gingivarum pallor, corruptio, consumptio, urinae sedimentum rubrum uroscopii lateribus saepe adhaerens, similia endemicae constitutionis non raro progenies. Quum acris hujus principii natura ratione locorum calidorum, aut frigidorum tenuitate peccet, aut crassitie, ad haec potissimum attendat oportet Medicus, ne a recta medendi via deflectat. Postrema lassitudinis species *tensiva* dicta illa est, quam

faciunt naturales, vel artificiales, suppressae, imminutae sanguinis evacuationes, uti fluxus menstruus in foeminis, haemorrhoides in viris, sanguis e naribus in juvenibus, aut nimia ciborum ingurgitatio, saburra in primis viis. Conveniens evacuationum revocatio, aut excedentis per apta loca eductio huic lassitudini medebitur. Generatim de febribus, quae homines adoriuntur cum lassitudine, et sopore, hisque tenues immodici sudores adjunguntur, timendum maxime est. Quandoquidem acris non solum, et mali moris indoles humorum, sed firmarum partium summa debilitas ab his deduci merito possunt (Hipp. de praedict. lib. I). Lassitudo una cum singultu, et catocho de mala aegri conditione dubitare sinit (idem de praedict. lib. I, §. 45). Lassitudo cum horrore, cute a stimulo modo humida, modo exsucca, ad tactum urente, hisque succedente narium haemorrhagia in ancipiti versari aegrum significat; acerrimi namque maligni fomitis nervos impetentis, humoresque celeriter ad solutionem disponentis argumenta sunt non adeo dubia.

XXIX. Inter actiones voluntarias laesas torpori etiam locus est, qui juxta Jo. De-Gorter (syst. prax.) in imminuta movendi facultate positus est, ut in paresi, vel extincta, ut in

paralysi una cum punctionis, vel formicationis sensu; alii torporem, ceu medium inter resolutionem, et valetudinem integram affectum considerant (Joh. Cons. Barkausen collect. med. pract. gener. de torpore). Neque desunt, qui imminutam vario gradu sensilitatem esse torporem affirmant (H. D. Gaubius inst. pathol.). Hae prolatae ab eximiis Auctoribus opiniones eo tendunt omnes, ut vitalem vim defectu peccantem, seu gignendis motubus, quos postulat oeconomiae salus, imparem unanimiter evincant. Haec vis vitalis, seu animalis laesio varia est pro majori, minorive vigore, ut inquiunt: naturalis et dissimilis pro diversa partium, quas efficit, sede, numero, et modo; hinc consequitur, ut torpor ratione sedis *crampi* nomine, vel *obdormitionis* vocetur penes Indos *beriberi*, quum gangliis nervorum medullae spinalis, aut huicmet insidet humor. Antecedentes caussae, caeli constitutio, natura, et conjuncta morbi idiosyncrasia lucem affundent introspiciendae torporis causae, et sedi, anatome duce. Non raro ab externa causa nervum, vel arteriam comprimente inter somnum enatus torpor, seu crampus dormientem vivide excutit, dum illa sublata, proinde restituto in parte circuitu, idem evanescit sponte, et citius quidem, si frictione compressam par-

tem, inferioremque compresseris. At torporem, ut inquit H. D. Gaubius (lib. citat.) comitari solet: « 1.° rudior fibrosi contentus crassities » delicatae gracilitati apposita, ob molem majo- » rem aegrius mobilis; 2.° rigiditas partium » tenax, vel dura, inflexibilis; 3.° laxitas, ac » inertia ex colluvie aquosa, mucosa, pingui; » 4.° inde et crasis humorum frigida, aquo- » sa, viscida, aut terrestris, densior; 5.° ea- » rumdem lentior per vasa motus; 6.° sen- » suum denique, ac animi motuum tarditas ». Ab his, si vera cogito, intelligimus monitum practicum summi Jo. De-Gorter, inquientis: « perfricanda pars saepe balsamicis, oleis » aromaticis, alcali volatili: interne danda re- » solventia, calefacientia » (system. prax. de torpore). At quum crampus inter morbi acuti symptomata se prodit, obvia ne est rationalis conjectura de conditionibus a Gaubio propositis, an potius de principio actuoso, phlogistico, qui non calefacientibus, excitantibus remediis movendus est, corrigendus, adque cutim unice cogendus, sed subacidis, temperantibus, et juxta morbi stadium, ac vias a natura indicatas prudentibus laxantibus tuto, cito, et jucunde expellendus? Cur subitae, praecoces, metastaticae eruptiones tristem utplurimum sortiuntur exitum, aut gravi cum periculo sem-

per decurrunt? Conditio igitur morbi, hujus causae proxima, nec non praedisponentes, occasionales sedulo perpendendae sunt a Medico, ut his rite pensitatis, rectam medendi viam ingredi possit. « A coxae torpore, ut inquit Corn. Celsus (lib. II, cap. VIII), longissimus morbus timendus est, si huic vehementi frigus accedat, alvus, nisi coacta, non reddat, idque, quod excernitur, mucosum sit, jamque aetas ejus hominis quadragesimum annum excedat ». Aeque tristis est praesagii torpor, si cum sensu pruriginis, et punctionis, vel frigoris modo caput, modo aliam partem occupat, haecque ad summam quoque linguam proveniant (Jo. Cour. Barkeus. lib. cit.). Neque minoris est periculi, si ad plures partes, praecipue faciem, et collum morbosa haec symptomata propagentur (Jo. De-Gorter syst. prax.); futuram enim siderationem portendunt, aut morbum ad multos annos, interdum ad vitae finem persti turum. Torpores, et stupores praeter consuetudinem contingentes apoplexiae futurae signum dixit Hippocrates (coac. praenost.). Haec sunt phaenomena, quibus supervenientibus, habita praedisponentium causarum ratione, gravissimum morbum futurum praeoccupare potest Medicus; judicant enim quidpiam in encephalo esse, quod movendi facul-

tatem imminuit, et, nisi debite, ac prompte occurratur, obliterare potest.

XXX. Lassitudini, ac torpori oppositus e diametro est ille nervorum status, qui *convulsio* nominatur. De hoc phaenomeno pertractaturus, moneo de convulsionibus me verba hic loci esse facturum, quae spectant ad morbos acutos febriles; sunt enim morbi absque febre, qui ut convulsivi considerantur, ex. gr. tetanus, cetera, de quibus alia erit dicendi occasio, missis etiam spasmis (quod nostrum non est) a vulneribus, ceu caussa natis. Phaenomena hujus mali mira sunt. Inprimis liquet convulsiones fieri a repletione, ab inanitione (Hipp. aph. 39, sect. 6). Firmum quoque est, satius esse febrem succedere convulsioni, quam hanc illi. Differentia causarum, spasmi vehementia, duratio, aetas, sexus periculi gradum definiunt. Convulsio idiopathica longe pejor sympathica. Spasmus ab inanitione ortus curatu difficilior est illo, quem vasorum fecerit plenitudo; quod enim excedit minuere facile est, deperdita reparare longe magis arduum. Neque parum confert in aetatis, et sexus animadversio. Pueri levissima ex causa in convulsiones ruunt; vix enim febricula corripitur infans, quin convellatur: acidum primarum viarum, vix susceptum contagium variolosum, morbillosum, dentitionis apparitio hos

in spasmum conjiciunt, dum adulti nonnisi a vehementioribus causis, et quidem raro, convulsionibus patent. Ex fugacissimo odore, aliisque similibus foeminae spasmo laborant, quem nesciunt viri. Fragor magnus, lux fulgidissima triste nuncium his invehit frequentissimum spasmum, eo vel magis si passioni hystericae obnoxiae sunt. Generatim a convulsionibus metuendum semper est, quum debilitatis effectus sunt. Tuncque magis verendum, si perturbationis criticae tempore, aut diebus criticis eveniant; saepe namque materies partes minus vitae necessarias occupans ab his commota impetit vitalia viscera, et brevi aut aegrum interimit, aut secundariis difficilibus morbis praebet occasionem, puta catarrho suffocativo, inflammationibus in gangraenam extemplo abeuntibus, lethali virium concidentiae, et similibus. Centies mihi, et auditoribus hanc metamorphosim notare contigit in Nosocomio D. Jo. Bapt. At si longius excurrat convulsio, licet prima fronte summum timorem incutiat, spes tamen est, ut causa a cerebro, vel nervis lentius dimota in circuitum rapiatur, et natura victrix per convenientes vias ipsam subactam expellat: eo vel magis, si nullae sint progressivae functionum cerebri laesionis argumenta, quin imo delirium, aut sopor, vel pervigilium, quae saepe

convulsionum socia sunt, meliora pedetentim fiant, et functionibus vitalibus, pulsu nempe, et respiratione contentus sit Medicus. Inprimis ergo Clinicum non fugiat cautio, quae in decernendis hisce mutationibus summopere necessaria est. Quae cum ratione succedunt, spem faciunt se prospero morbi eventu futura: repentine, et absque argumento evenientia hanc jure deficiunt. Deinde haec monitos faciant Clinicos de aureo immortalis Thomae SYDENHAM praecepto practico, affirmantis: « convulsiones in morbis febrilibus ne-» que cardiacis, nec calidis remediis curandas » esse; sed iis praesidiis, quae ad justum mo-» deramen redigant febris impetum, et alicui » diuturnitati locum praebeant ». Ab hoc monito etiam liquet, cur bonum sit convulsioni febrem succedere. Patet igitur, convulsiones in febribus, potissimum acutis, periculum semper minari; sed ab his non omnem quandoque spem dejici. Effectuum, quos spasmi edunt, ingens numerus est, de mente H. D. GAUBII (instit. pathol.), nec tamen hi adeo constanter nocent, ut non et saluberrima inter naturae auxilia ad amovendos, sanandosque morbos merito haberi debeant. Saepe, teste experientia, motus profluunt automatici, irregulares, et quidem multimodi, at saepius beneficentissimi, licet mens nec imperet, neque conscia sit: id genus motubus

praesentia febris enumeranda est. Nemo nescit mutuum inter vires sentiendi, movendique consensum, quo fit, ut vehementi cuilibet concussioni spasmi frequentissime succedant, quibus malum, de quo sensus movet, natura vigil avertere conatur. Mira aeque est effectuum a spasmis sobolescentium varietas, ac multiplex horum differentia, prout vel universales sunt, vel partiales, repentini, vel lenti, idiopathici, aut sympathici, tonici, vel clonici; hinc variis, juxta partes, quas vexant, nominibus donantur a Practicis. In superioribus tradidimus, quid sit tetanus, epistothonos, aut emprostothonos. Si vero a ventre ad gulam propagetur spasmus strangulationem inferens, *hysterica*, vel *hypochondriaca passio* nominatur: si lumbos, membra ad instar saltantium pubertatis, utplurimum tempore, aut caput, faciem, os, fauces, cor, pulmones, et alia respirationis organa, aut ventriculum, intestina, vel urinae vias, aut in viris genitalia invadat, *lumbago, chorea S. Viti, cephalalgia, clavus hystericus, spasmus cynicus, risus sardonicus, aphonia, suffocatio, angina, asthma, incubus, tussis clangosa, nausea, vomitus, ructus, cardialgia, colica, tenesmus, ischuria, satyriasis.* Licet vero haec lato modo ad spasmum referantur omnia a quibusdam Auctoribus, ut etiam *oscitatio*, et

pandiculatio, re tamen perpensa, ab affectubus spasmodicis quaedam expungenda esse, aliorum auctoritate freti, dijudicamus.

XXXI. Hactenus exposita praedictionibus a convulsione in morbis acutis febrilibus normam praebere poterunt. Lethalis est convulsio inflammationi succedens; causam enim inflammationis altis in cerebri medulla defixam esse radicibus notat, quum observationibus constet eamdemmet causam meningibus, et corticali substantiae insidentem convulsionum evolutioni nullimode occasionem dedisse. Inter pessima convulsionis praenuncia unanimi consensu admittunt Practici urinam pellucidam, aquosam crassae succedentem. Quum enim urina inter excretiones sit, quae, ut de ipsius inspectione dictum est alibi, non paucam detritae ex aucta circulatione materiae in morbis acutis febrilibus educat, certum est hanc, si in morbi stadio jam jam ad solutionem vergentis pellucida appareat, malam esse: pessimam, si in morbi initio ex crassa in tenuem, pellucidam mutetur; haec enim in utroque morbi stadio materiam morbosam retineri significat, ab hac vero cohibita tenerrima vasa cerebri laedi, adeoque summum periculum lethalis *metastasis* jam suis temporibus notavit Hippocrates (in prognosticis), addiditque Galenus in hunc textum animadvertens, omnes,

quos vidit, apparente urina crystallina, periisse. Anne, illato ex pellucidae urinae in hystericis, aut hypochondriacis exemplo dubitari jure potest de turbato ab hujus urinae inspectione nervoso genere, ceu pessimo lesae encephali actionis effectu? Crassa urina in morbi principio quantitatem morbosi fomitis indicat, morbique magnitudinem, in morbo ad crisim tendente solutionem. Convulsio, quam nimiae evacuationes faciunt lethalis fere est: quandodoquidem haec causa vix patitur inducias, morsque fores pulsat: a pessumdata vasorum, viscerumque actione mutatio prompti ingesti cibi licet optimi, quae reparandis humoribus necessaria est, praesumi difficile potest. Mala est in febribus convulsionis, ac delirii vicissitudo, et fere pessimus utriusque nexus in morbi decursu fere perpetuus; non unam enim, aut alteram tantum encephali partem laesam esse, sed omnes turbatas iri argumentum est. In morbis exanthematicis convulsiones discrimine plenae sunt, si excipias variolas, praesertim in infantibus, et pueris, in quibus spasmi, ceu qui, ut superius dictum est, minima ex causa facillime suscitantur ante eruptionem absque periculo: quin immo, si nil peculiare fuerit, boni ominis notantur, atque pustularum apparitione sedari quodammodo incipiunt, evane-

scunt absoluta eruptione: non ita de adultis, et robustis cogitandum est, qui ex majori saepe ad caput impetu phrenitici evadunt, exque aliena non raro humorum labe in secundarios morbos labuntur, utplurimum lethales. Si de convulsionibus sermo fiat, quae alios comitantur morbos exanthematicos, quum horum fomes morbosus personatus saepe sit, malignus, hae semper malae sunt, eo vel magis si in eruptionis initio, aut hujus vigore appareant: non adeo terrent, si hanc anteverterint; saepe namque spasmi antè eruptionem, vel hac prodeunte nati, eamdem, ut notavimus cum H. D. Gaubio, expediunt, et naturae spei praesto sunt. Longe aliter sentiendum est de convulsionibus, quae in eruptionis progressu eveniunt, quarum causa, quum fere semper in deleterio miasmate reposita sit, quocumque in harum stadio aegrum invadant, anceps res est; ne dum enim turbatam cerebri, nervorumque actionem declarant, sed pene devictas naturae vires aperiunt. Quemadmodum in aliis morbis si convulsio se prodat cruditatis, aut coctionis tempore, mali est praesagii; ita non adeo pertimescenda, si coincidat cum crisi, de mente Gottlieb Ludwig (part. iv, cap. iv de sign. morb. prognost.); inquit enim, separationem, et excretionem materiae morbosae non raro juvare.

XXXII. Haec, licet pauca sint de convulsionibus prolata in morbis acutis febrilibus, sufficere tamen puto, ne credamus, ut quidam opinantur, morbo ex variis causis nato, et diversis morbi temporibus erumpenti generale quoddam antispasmodicum remedium aptari posse; dogmatici namque, prudentisque Medici est in causas singulares, morbi stadia, locum primario affectum rite animadvertere, ut, si acre principium est, leniatur, hujusque prohibeatur ulterior degeneratio, si densum, et impactum solvatur, si quidpiam contracti solvatur, si copia peccet ex artis legibus, aut turgescens prompte imminuatur, aut opportuno tempore per convenientia loca evacuetur. Re namque vera si a deposita ad encephalum materie in morbo acuto convulsio fiat, antispasmodicisne, diluentibus, subacidis hanc sedare satages, an epispasticis, clysteribus, aut aliis, quae alvum perbelle ducunt? Si lentus humor catarrhosus, aut podagricus, arthriticus caput impetit, convulsionesque creat, purgantibusne, aut iis, quae ad priora loca illarum causam revocare possint pugnabis? An convulsioni, quae haemorrhagiae supervenit, nervinis medeberis, aut a nimia sanguinis copia natae alvum moventibus, aut sudorem medeberis? In harum convulsionum cura hippocraticae legi adhaerendum est, nempe *mor-*

bis a plenitudine actis, sunt verba Auctoris, *medetur evacuatio; illis vero qui ab inanitione fiunt, medetur repletio* (aphor. 22, sect. 2). At scire expedit, hanc repletionem non in pulcherrimis stillatitiis oleis aromaticis, aut spiritubus ad sidera fere elatis consistere, sed in novo, et idoneo liquido, quo collapsa ex nimia inanitione vasa distendantur. Illa nocent stimulo suo, et pauculum quod superest adhuc in vasis, ad mortem usque a discissis canalibus expellunt: hoc blandum est, et par debili corpori, et ab actione vasorum, viscerumque superstite, licet languida subactum sanis humoribus assimilari potest. Carnium juscula imprimis proderunt, quibus acetosa, oryza, hordeum, avena, aliaque cerevisia mollissima incoquantur. Utilior enim est parca dosis, et repetita, quae languidum, et fere exangue corpus non gravet, quam nimia subitam vasorum impletionem renovare, motumque adaugere ipsorum constrictioni adversum. Hujusce moniti veritatem comprobant quotidiana, mulierum praeceteris, exempla, quae ex enormi per abortum haemorrhagia ad orci fauces pene delatae, hac paulatina vasorum implendi methodo integram recuperant sanitatem. Horum omnium considerationi adjungenda est illa convulsionum, quae morbis mali moris exanthematicis supervenientes nego-

tii plurimum facessunt curantibus, et quod primum est, in summum vitae discrimen conjiciunt aegrotantes, hosque frequenter interimunt. Sane dissimulandum non est eam saepe esse horumce morborum vehementiam, acredinem scilicet, subtilitatem miasmatis morbosi, et validam satis resistentiam solidorum, ut nemo mirari debeat, si convulsiones ab horum morborum evolutione, aut explicita eruptione, vel hujus a cute regressu natae implexae sint, solertiamque Clinici saepissime fallant. Difficultatibus, quantum fieri potest, evitandis utilis erit exacta in potentias noxias, et seminia, quae saepe sociata morbum, ejusque symptomata gignunt, animadversio. Aequum de his feret judicium, qui sedulam habebit, ac perdiligentem rationem temperamenti, aetatis, anteactae vitae, vivendique generis, caeli constitutionis, idiosyncrasiae, necnon cum communium, tum propriorum pathematum, eorumque secundum, aut praeter naturam se habentium; haec enim una cum causis adventitiis firmiorem Medicum reddent in vulgatiorum convulsionum diagnosi, praedictione, cura, quae, de sententia cl. Joseph Lieutaud (synopsis univers. prax. med. de convuls.), merae sunt symptomaticae. *Si vero*, verba sunt ejusdem, *causam fugacem agnoscunt insultus convulsivi*, *totum negotium*

naturae committendum, vel ad remedia melancholiae dicata confugere expedit. Ab his itaque profluit, ut tuto incedamus pede in harum remotione, perpetuo habendam esse rationem primarii morbi, interea dum palliativa methodo fauste usurpari possunt enemata, si causa morbi sedem habuerit in imo ventre, varie concinnata: si in encephalo, naribus admota acetum acerrimum, spiritus salis ammoniaci simplex vel succinatus, aliaeve substantiae graveolentes: si in medulla spinali, frictus in dorso, tibiis, aut cucurbitae siccae, vel scarificatae, vesicantia. Ubi a nimia partium confrictione spasmum nasci conjicitur, neque se se offerunt contraindicationes, laudantur balnea, semicupia, pediluvia, vel pars affecta in aquam immergitur; nec, furente paroxysmo, multigena antispasmodica prohibentur; caute vero cum narcoticis agemus, si libere non fiant animales functiones: aqua frigida affatim hausta suas quoque meretur laudes. At sedulo cavendum ne ita facile, ac multi solent, sanguinis missiones, et emetica praescribantur. Penes multos mos viget, ab his cujuslibet gravioris morbi curam auspicandi; hi porro generatim officiunt. Ad phlebotomiam ceu prophylacticam confugiendum, si obscura, aut evidentiora convulsionis signa sint a sufflaminatis in adolescen-

tibus, aut viris consuetis sanguinis e naribus, aut haemorrhoidibus evacuationibus, aut catameniis in foeminis suppressis, vel difficile, et cum saevitia erumpentibus, vel in partu laboris pleno, aut in abortu: eo vel magis, si temperies sanguinea sit, aetas juvenilis, praecesserintque causae sanguinis copiam, ac densitatem adaugentes. Emetica vero, purgantia, vel anthelmintica utilia esse poterunt, quum a sordibus, vermibus in primis viis nidulantibus convulsiones natas esse probe constiterit: viam convenientiorem natura indicabit. Non raro a cohibito sudore, vel a regressu cutaneae efflorescentiae suam trahunt originem convulsiones; certum enim est in morbis cum materia per sudorem evacuanda, morbi causam retineri, morbum increscere, et convulsiones pedissequas esse posse, nisi sudor repressus denuo erumpat, aut exhalare cohibeatur: id experiuntur aegrotantes, qui tempore critico, peracta concoctione, prodeuntem sudorem saluberrimum errore aliquo perturbant, impediunt. Praesentius est nihil his in circumstantiis derivatione ad cutim facta remediorum ope sudorem revocantium, ut nihil his utilius, quum cutaneae efflorescentiae regressus evenit. At in remediorum delectu prudentia opus est, atque circumspectione. Quum enim de mente cl. viro-

rum Gottlieb Ludwig. (advers. medic. pract.) et H. D. Gaubii (instit. pathol. medicinal.), suffragante experientia, adeo impervia sit mixtionis particularum in corpore nostro ratio, ut idem fomes morbosus, quamvis specifico quodam sudoris odore vel in pustularum forma, vel macularum, vel in conjunctis symptomatibus se prodat, indolem tamen suam non accurate indicet, accurato observandi modo investigare, perpendere oportet, num motu nimio acrior evadere queat materia, et spasmis occasionem praebere: quando et eadem materie singulari ratione nervis infesta convulsionum primo, dein languorum, et caeteris, quod pejus, depressionis virium causa esse possit. In nostro casu, quum experientia constet praecocem pustularum, quas dicunt *miliares*, eruptionem, ni critica haec sit, aut harum regressum convulsionum causam existere, quumque hunc humorem laevissima ex causa saevientem nervis cutaneis infensissimum probent exempla quotidiana, de prudenti remediorum delectu cogitandum est. An, variolarum exemplo, humoris malitia diluentibus, temperantibus, subacidis corrigenda est, eodemque tempore mollissimis clysteribus, aliisve per quam blandis laxantibus, aut aperientibus, nec non externis, si opus est, revellentibus procul a cute alliciendus hu-

mor est, ut convulsionibus prophylactice occurratur? Esto sanioribus judicium.

XXXIII. Praeceptis, et monitis pathologicis hactenus traditis operae praetium duco, generalia quaedam adjungere, quae pleniorem possint affundere lucem cum in diagnosi, tum in prognosi morborum. Sancivit HIPPOCRATES, morbum cognosci cum aegri narrationibus, et inspectione, tum ratiocinatione, et observatione. Inter haec vultus lineamentorum sedula inspectio, mutatio faciei coloris, totiusque corporis, aegri in lecto positus, nec non sensuum externorum, quorum laesionem aut inspectio, aut sciscitatio indicant, perquam utilis est, ac necessaria. In immensum cresceret oratio, si in animo esset omnes recensendi faciei mutationes, quae singulorum morborum propriae enumerari possent. Sit satis praecipuas delibare. Depressa extemplo facies, oculi concavi, languidi, fusci, hujus pallor non solum functionum vitalium debilitatem enunciant, sed mutatam humorum crasim, tenuitatem globulorum rubrorum corruptioni proximam: a praegressis nimiis evacuationibus, aut praesentibus saepe nascitur haec mutatio, puta diabete, alvi fluxu, immoderata in foeminis leucorrhoea, aut nimis protracta lactatione: pallor saepe ab incipiente varii generis cachexia exoritur scorbutica,

venerea, scrophulosa, chlorotica, aut illa, quae juxta cl. Gerardum VAN-SVIETEN ab acido spontaneo, vel alcalino fit. His palloris causis addantur multiplex haemorrhagia, ventriculi debilitas, animi pathemata. Causa qualibet specificis remediis emendata, bonam humorum crasim restituere poterunt illa, quae vi antiseptica, et roborante pollent: pallorem ex morboso sanguinis profluvio dissipabunt cibi eupepti paulatim exhibiti, et stomachicis sociati. Quoties in acutis febribus inflammatoriis, febribus mali moris, epidemicis, exanthematicis color niger transparet, hocque tinguntur colore sanguis, et excreta varii generis, infaustae prognosi locum hic praebet; necroseos enim indicium est, quam antisepticis corrigere fere impossibile est, quodammodo retardare perquam difficile. Longe aliter sentiendum est de subita coloris candidi faciei in rubrum conversione: haec si fugaci incalescentiae adjungatur, phlogoseos signum est, ut in febrilibus cutis efflorescentiis observare est, tum in iis, qui spirituosis, calefacientibus abutuntur, aut capitis, pectoris, fauciumque morbis sanguineis, phlogisticis tentantur. Alias interna, ac subita commotio hunc ruborem albedine circumscriptum gignit, ut in hecticis, peripneumonicis: frequenter ab externis stimulantibus rubor specia-

lis prodit: saepe quae acrium exhalationem prohibent, uti frigus, et unctuosa, hujus ruboris causa sunt. Si vero floridiore colore suffusa facies apparet cum plenitudine in pueris, de rachitide dubitari potest: ex intense rubra de proximo febris acutae adventu, uti ex ruboris, et palloris vicissitudinibus vermes, vel spasmi conjici possunt. Suam quoque merentur considerationem colores flavus, et lividus. Primi causam in hepar rite bilem non separans, aut in canalium ipsam secretam excipientium vitium: alterius saepe in bilem corruptioni proximam, et sanguini offusam refundunt Practici: quandoque ab impedito sanguinis reditu, vel subsistentia producitur, ut in spasmo, angina, in morbis capitis soporosis, in febris paroxysmo, in virium defectu solet evenire. Ut circulus sub oculis lividus gravidis, cachochimicis, fluore albo, mensium suppressione laborantibus frequens est. Generalis horumce colorum cura nequit institui: sed a causis, symptomatibus, ab antecedentibus, concomitantibus, et inhaerentibus petenda est. Quod attinet ad prognosim, ut paucis dicam, de morbis eo magis timendum est, quo major est subitus, vel paulatinus a naturali statu coloris recessus, et adhuc gravius vitae periculum imminere putandum est, si nullae culpari poterunt causae evidentes, indebitae

ad exemplum per urinam, cutim evacuationes natura, vel arte suscitatae, aut profusae naturales, vel artificiales sauguinis jacturae, aut ex adverso aliquae ex his imminutae, suppressae, ob quas haec fiat coloris mutatio: quemadmodum laudabilis color, praegressis his causis, ancipitem aegri statum ominatur. At licet his fidem adjungant observationes, et experientia, perinde tamen liquet, non paucos esse, qui bona fruentes valetudine continuo pallent, aut subicterico colore donantur, vel fusco: alii sunt, quorum genae ita pinguntur colore roseo, ut pulmonibus affectos credas, intereadum ad longos annos incolumen vitam trahunt. Illorum opinio, qua multi contendunt a coloris discrimine de affecto viscere decerni posse, incerta admodum est. Saepe obstructo pancreate, aut liene color ictericus est, pallidus quandoque ex hepatis congestione: qui pulmonum morbo laborant, modo pallent, alias flavescunt, vel atre rubent. Coloris mutationes a multiplici partium spasmodica affectione non raro excitantur: quoties a frigore, ab animi pathemate subitus prodit color alienus? Momentanea ne fit organi immutatio? An secreti ad debita loca humoris tanta, ac repentina ad vasorum cutaneorum ostiola transmissio? Quandoque polypo arteriae pulmonalis, aneurysmate arteriae aortae, quam

descendentem in totum fere osseam videre mihi contigit in Nosocomio D. Jo. Baptistae, laborant homines, quin colorem faciei, habitumque corporis nil prorsus a naturali statu mutatum offerant, licet ad lustra, ad annos multos haec servent suis muniis de more dediti. Haec autem aperui, ne a sola coloris faciei inspectione quis decipiatur, quum de morbis deliberandum est; sed ut hujus signi cum caeteris, quae in aegro sunt, ad exactam rationis, observationis, et experientiae lancem redacti aequa consideratio, uti par est, habeatur.

XXXIV. Inter actiones externas, seu animales oris status, sapor, visus, auditus recensentur, quae sedulo animadversa, et cum ceteris morbi phaenomenis comparata hujus verae assequendae causae adminiculo sunt non mediocri. Quum lingua, totumque oris cavum pellicula, quae *epitelium* audit, obducatur, sitque internae oesophagi, ventriculi, pulmonum superficiei continua, harum partium non solum statum indicare potest, sed color, et sapor humorum vitium significabunt. Quam ob rem cum sana lingua mollis sit, coloris carnei, humida, tactus, gustusque capax, pro varia harumce conditionum mutatione varia potest Medicus arguere: si sordida est, mucosa, pellicula tecta, vel pituita viscida oblita, salivae, muci, liquo-

ris gastrici depravatam indolem, inertemque bilem, viscidam denotat. Aspera initio morbi, glabra, fissuras contrahens defectum humidi significat; *humida bona*, inquit Jo. De-Gorter (morb. particul. lib. 1), *sicca mala, maxime si talis fiat ore clauso.* Sensus ardoris in lingua phlogisticae sanguinis indolis, aestusque nimii partium internarum signum est, ut deficientis motus vitalis sensus frigidus. Lingua contracta, rigida, exserta, vel ejus tumor in febre continua una cum sermone incongruo, alvoque liquida, biliosa delirium praenunciare solet: absque febre soporosos capitis morbos, paralysim, apoplexiam, convulsiones; uti ab ejus stupore, et torpore eadem infortunia timenda sunt, quum, ut sentit laudatus De-Gorter (loc. mox citat.), profundiores in nervis causae praesumi possint. Non ita sentiendum est, si partes contiguae, glandulae nempe salivales, sublinguales, ceterae motum linguae intercipiant, ut in angina saepissime notatur. Ab alienis quoque saporibus indicationes petendae sunt. Amarus sapor a bile utplurimum rancida, putri fit, quem saepe emendant vomitum cientia, et subacida. Salsus, qui principii acris, ex quo generatur, indolem patefacit, si in chronico morbo evolvitur, longitudinem, brevitatem in acuto denotat, ob difficilem, quam admittit, emen-

dationem. Ex dulci sapore cum tussi de haemopthysi dubitari potest. Haec enim cum in teneritudine vasorum arteriosorum consistat, inque impetu acrioris utcumque sanguinis, facile est intellectu, quomodo, licet dilatata, maneant initio integra vasa, et secreti tamen a sanguine humores, qui omnem internam trachearum superficiem humectant, ceu adhuc chylo non satis actione viscerum primae coctionis elaborato commixti hujus saporis causa sint, ita sentientibus immortali Hermanno Boerahave (in aphor. de cognosc. et curand. morb.), ejusque eximio commentatore Gerardo Van-Swieten (in comment. de haemoptysi). A sapore urinae peculiari alcalinam humorum indolem conjectantur Practici. Linguae color (dummodo ab assumptis, vel applicitis immutatus non sit) inter signa morborum enumerandus est; albus, et pallidus sanguinis defectum notat: quotidianae febris, morborumque ex lento, viscidoque humore progenitorum comes saepe est, atque morbillorum eruptionem non raro antevertit: flavus plerumque ex bilis vitio est: cruentus in febribus erysipelaceis, ardentibus, apparet: lividus, nigrescens febres mali moris, morbosque omnes comitatur, quorum fomes est juxta Poliatros efferus, malignus. In peripneumonia pars linguae muco albo obducta pulmonem ejusdem lateris affectum,

tota alba utrumque laborantem fere semper significat, ut in pleuritide lingua sublividis pustulis aspera difficilem praenunciat judicationem, eoque tardiorem, quo serius erumpunt. Paucis his de saporibus, et coloribus linguae indicatis, quaedam addemus de siti morbosa. Sitis est morbosa, quum bibendi voluntas naturalem amissi ex causis sanitati adversis fluidi restaurationem excedit: 1.° causae praegressae adaequatam deperditi humidi notionem praebere poterunt: ad ex. immodicae alvi evacuationes, urinae profluvium, labores improbi, nimia in aëre calido, et sicco exercitatio, indebitus evacuationum usus. 2.° Sitim morbosam non ferendam gignunt febres ardentes, inflammatoriae, biliosae, *putridae* vulgo dictae, erysipelatosae, puris generatio, saburra ex pravis viscidis humoribus, praecipue bile rancescente, in primis viis collecta, retenta. Morbosae sitis sensus, quum commune utplurimum febrium symptoma sit, quo intollerabilior erit, eo pejorem morbi, et causae conditionem indicabit, puta, aut summam humorum immeabilitatem, aut multiplicem acredinem, vel acrem stimulum ori, faucibus, oesophago, ventriculo admotum. Neque praetereunda est sitis molestissima, quae torquet illos, in quibus est aquosi humidi in corporis cavis, aut cellulosa tela collectio. Generatim his praegre-

sis, nempe recensitis evacuationibus, et morbis a densitate pendentibus occurri potest, *aquosis,* ut inquit Jo. De-Gorter (syst. prax. de siti morbos.), *tepidis parva copia simul datis, applicatis et injectis*; sed si simul colligitur aquosum in cavis corporis, vel tunica cellulosa, ut in hydropicis, praestantius est sitim fallere. Sitis vero morbosa febrium synochorum, erysipelacearum, biliosarum, aut ex saburra primarum viarum temperanda est saponaceis, acidis, antisepticis, et si de puris generatione agatur, antisepticis vinosis, ea, qua par est, prudentia fussis: ubi a stimulo causa sitis deducitur, quae diluunt, demulcent, obvolvunt remedia, erunt idonea Neque silere oportet, immane bibendi desiderium, et horrorem a qualibet fluidi admotione excitatum, de hydrophobia timorem movere. Ab enarratis profluit, quaenam signa a siti morbosa deduci queant, et cui prognosi locum pateat. Verumtamen aegros adesse, qui licet ex causis, et ex praecipua faucium arescentia sitire deberent, nullum tamen exposcunt potum, neque de siti conqueruntur, quotidiana praxis ostendit; hos *adipsia* laborare dicendum est: quae vel a mentis alienatione, vel ex abolito sitis organo repetenda est. Post crisim imminui, vel evanescere sitim, salutare signum est, ut generatim in

quocumque morbo nulla, aut modica sitis bonum omen portendit. Antiquissima inter Medicos quaestio agitata est, num sitientibus febre laborantibus pro lubitu exhiberi potus queat, an avidissime petenti denegandus. Missis, brevitatis causa, utriusque opinionis argumentis, auctoritate Jodochi Lommii freti affirmabimus: 1.° aegris magis in potionibus indulgendum esse, quam in cibis (opera omn. cap. VIII de potion. acut. febricit.). Attamen ut in ceterorum exhibitione, ita in potu adhibendus modus est, ne nimio humore, qui decumbentibus alienus est, morbi cruditas in spatium trahatur, difficiliorque evadat concoctio: 2.° vehementiam, et indolem causae morbi, hujus impetum, sitis, ariditatis, ac ceterorum symptomatum gradum, naturam febris, morbique tempus consideranda esse a Medico. Hinc falluntur illi, qui toto ex animo potum expetentibus negant: nec non alii, qui primis morbi diebus strenue bibendum esse aegris praecipiunt. Normam dabunt naturalium functionum evacuationes, et hae cum caeteris symptomatibus collatae de necessaria potus quantitate, deque hujus opportunitate curantem edocebunt. Febris ingenium a Medico distinguendum est; ut enim in febribus continuis morbosa sitis, aestusque vehementia potionibus, prudentia duce, refrenandae sunt, ita in febrium in-

termittentium initio nullus potus concedendus est, licet aegrum sitis angat, ne longior ex hoc perstet accessio: quin etiam monendus aeger est, ne nimis indulgeat potui, progrediente accessione; sitis enim, finita febre, cessabit, non virium, quam multa potio gignit, imbecillitas, ex qua vitiatae materiei extenuatio, ut inquiunt Practici, remoratur. *In continuis febribus*, concludit laudatus Jodochus LOMMIUS (loc. cit.), *materia in venis continenter manens gravi incendio, atque assiduo corpus urit, quod, nisi opportunis temporibus refrigerio poculorum reficitur, periculo fit obnoxium. Ut hoc apprime verum sit, in intermittentibus febribus magis causam, hoc est materiam peccantem spectari oportere, in continuis magis morbum, calorem scilicet febrilem, in utrisque neutrum esse negligendum.* Porro, ut haec omnia colligamus, neque tortoris vicem (in febribus continuis) more ASCLEPIADIS agere debet Medicus, nec nimia peccare indulgentia. Cornelio CELSO, quamvis abstinentiam a potu commendaret aegris febre laborantibus, arrisit nihilominus hic mitis agendi modus, fassusque est: *ne illud quidem ab* HERACLIDE Tarentino *dictum, ratione caret; ubi autem bilis aegrum, vel cruditas male habet, expedire oportet per modicas potiones misceri novam*

materiam corruptae (lib. 3, cap. 6). HIPPOCRATES victum febri detentis humidum prodesse monuit, deditque tenues acidulos potus. Ad horum auctoritatem accedentes, habitaque nostrarum regionum ratione, tum exceptionum, quas superius indicavimus, sitientibus aegris potum concedendum esse concludimus. Sunt etiam qui disputant, num calidus, án frigidus potus dandus sit: quam in rem, aeque ac in potum alios aliter animadvertisse fatendum est. Sunt, qui aegrotantium instinctui obsequiosi potum frigidum commendent, alii calidum volunt, tepidiusculum alii. Inter primos GALENUS fuit, qui vexatos febre ardente usu frigidae aquae feliciter convaluisse testatur (meth. med. lib. IX). Cornelius CELSUS licet in summo quoque casui incremento aquam frigidam ultra satietatem aegris permittere nullus dubitaverit, hoc tamen remedium utile dixit in illis, *in quibus praeter ardorem nulli dolores, nullusque praecordiorum tumor; nihil prohibens vel in pulmone, vel in faucibus, etc.* (lib. III, cap. 7). Re namque vera, ratio, observationes, et experientia hanc CELSI prudentiam confirmare videntur; aqua enim frigida, et affatim hausta aeque nocet internis partibus, ac aër calefacto corpori subito admissus. Cur ab epota, aestuante córpore, aqua gelida lethales

pectoris inflammationes, apoplexia, nati extemplo multigeni intestinorum dolores? An non in quibusdam aegris, quamvis febre ardente, ceu morbo primario laborassent, hosque perfecte liberatos notaverint SCHELAMMERUS (de genuina febres curandi methodo part. 3, sect. III), et Henricus MEIBOMIUS (Theses ex universa arte desumtae an. 1668), quidpiam tamen humoris subesse poterat, ut scite animadvertit Gerardus VAN-SWIETEN (in comment. de siti febrili) in putridam solutionem tendentis? Cum ergo constans ab his non pateat potus frigidi utilitas, multa sint e contrario, quae summam hujus noxam evincunt, statuere liceat, summa cum religione in hujus usu incedendum esse. Ad potum vero calidum quod spectat, distinguas oportet, an larga copia hunc exhiberi velis, an modica? Copiosa hujus calidi ingurgitatio prohibetur a nimia ventriculi distensione, et hinc hujus ostiolorum spasmodica constrictione omne ingestum respuente: a pedissequis anxietate, nausea, vomitu, sudoribus coactis, inopportunis, languore, etc. Parca ingestus copia, et eo quidem modo, quo sitim potius extinguat, et quo, teste CELSO (lib. III, cap. 6), fauces, oris cavum, et vasa per haec distributa foveantur, laxentur, et a venis bibulis lenis humor absorbeatur, tutior videtur. Igitur quum humo-

res diluendi sunt, ardor compescendus, acresque humores obtundendi, omne tulisse punctum dicendus est Medicus, qui, generatim loquendo, egelidum potum aegris persuadebit.

XXXV. Morborum diagnosi, prognosi, et indicationibus curatoriis lucem quoque affundit sedula in visum, auditum, et decubitum in morbis animadversio. Ab hac enim non humorum tantum qualitatem, sed encephali, nervorum, viriumque muscularium statum metiuntur Practici. Et sane quum in interna palpebrarum superficie, majore oculi cantho, et tunica adnata numero multa sint, et diversi generis vasa conspicua sanguinea, serosa, lymphatica, ex horum mutato colore prudens inferri potest illorum judicium. *Color a succis corporis nascitur*, inquit GALENUS (de sanitate tuenda lib. IV, cap. 4). *Ut oculi valent*, inquit HIPPOCRATES (epid. 6), *ita totum corpus*. In sanis plurimos exprimunt affectus, et prima morborum indicia ab oculis saepe manifestantur. In debilibus corporibus argumentum redeuntium virium est major oculorum vigor. Hinc oculi sicci, squallidi, pulverulenti mortem prae foribus enunciant: uti pellicula ex defectu nictationis palpebrarum ab inspissatis humoribus nata, aut lacrymae deciduae, involuntariae una cum aliis pessimis conjunctis vulgaria sunt in-

stantis lethi signa. Ex adverso ceterorum symptomatum cessatio una cum invictis lacrymis criticam narium haemorrhagiam non raro praedicit, eo vel magis quum insolitus capitis dolor, colli, et cervicis cum dolore tensio, rubedo oculorum, et splendor, faciei palpitatio, nariumque pruritus accedunt. Si oculi pervertantur, aut alter altero minor fiat, vel albuginea membrana evadat rubra, aut livida, vel nigris interspersa venulis, aut fixi, cavi sint, curva supercilia, squallor, opacitas ipsos occupet, de aegro conclamatum est. Inter minus fausta signa enumerant Clinici, duce HIPPOCRATE, albi quidpiam in somno per diductas palpebras manifestum, dummodo haec non sit aegro familiaris dormiendi consuetudo, neque diarrhoea, aut purgans pharmacum culpari possit. E contra optimum in morbis argumentum est oculorum nitor, uti cita oculorum ex nigro, vel livido in purum conversio; crisis enim indicium est, eoque celerioris, aut tardioris, quo illa maturior, aut tardior apparet.

XXXVI. Ad actiones externas auditum quoque retulimus, cujus attenta in morbis ratio spernenda non est. Triplici modo laedi potest auditus organum: vel nimis acutum est, vel grave, vel plane obliteratum. Haec vitia quandoque organica sunt, saepius vero colluvies sero-

sa, aut copiosum cerumen sordibus commixtum, induratumque, vel tumor, inflammatio, ulcus meatum auditorium laxando, occludendo mutant, ita ut sonus vel nullus, vel summa cum difficultate, et molestia, ad tympani membranam propagari, hanc ferire, et ad interiora proferri queat. Quandoque tympani membrana fissa, nimis laxa, aut rigida, vel ossea necessarios tremores ad cavum tympani protendendos immutat, prohibet, ac juxta variam causae naturam, et sedem alicui ex memoratis laesionibus praebet occasionem. Observationes, et experientia docent, tubam Eustachianam alienis humoribus, aut corporibus obseptam prohibere, ne aëris atmosphaerici renovatio, et ex hac ad labyrinthum accurata soni propagatio fiat. Ab his colligere fas est, inter multiplices has causas numero paucas esse, quarum curatio nostri fori sit, si inflammationem excipiamus, dolores, spasmos membranam tympani, periosteum, nervum acusticum ita afficientes, ut non solum pervertere possint auditum, sed quandoque delere penitus. His in casibus sive primaria sit haec laesio, vel morbi symptoma, aut pedissequa, antiphlogistica, sedantia, nervina, et revellentia promptam, tutamque opem ferent. Quod prognosim spectat, notare expedit, surditatem post morbos inflammatorios superstitem imme-

dicabilem utplurimum esse. *Dolor auris acutus in febre continua, et vehemente, gravis: periculum enim est hominem delirare, et interire* (Hipp. praed.). *Ubi ab encephalo affecto aurium tinnitus* (Van-Swieten in comment. de apoplexia) *producitur, tunc et diuturnior esse solet, et frequentius recurrit, atque merito pro signo habetur compressionis encephali sive a distentis nimis vasis sanguineis, sive ab extravasatis in cavo calvariae liquidis sensim auctis.* Pessimus est aurium sonitus, quum vehementes capitis morbos, et potissimum epilepsiam comitatur (C. Celsus lib. vi, cap. 7). In causo tinnitus aurium una cum oculorum hebetatione, sensu ad nares gravitatis furens, imminensque portendit delirium, quod natura provida saepius praecavet narium haemorrhagia. Aegri febre vacui, et dolore capitis, aurium tinnitu, tenebricosa vertigine, vocis tarditate, manuumque stupore vexati apoplexiae, morbo comitiali, fatuitati obnoxii sunt (Hipp. coac. praenot.): quemadmodum ex bombo, et tinnitu in morbo acuto periculum mortis timet (ibid.). A surditate non ita pertimescendum est, quum in statu morborum acutorum obvenit: haec naturae viribus saepe tollitur, sanguinis nempe fluxu e naribus, saepe alvi profluvio, propterreaque neutra evacuatio nec pro-

movenda est, neque sistenda, ni modum excedere videantur, sed illis committendae sunt; subactae namque, et concoctae materiei signum est. De hac surditate laetantur adeo Practici, ut criticam considerent delirio supervenientem, et symptomaticam, quae ab hoc excipitur (Jacob. WALDSCKMIDT oper. med. HIPP. tom. I).

XXXVII. Quaecumque in hominibus praeter morem notantur, tamquam ominosa a Medico circumspicienda sunt. Inter numero multa huc usque proposita non parvi refert considerare aegri *decubitum.* Hic quo magis a naturali sanorum dormientium modo recedit, eo deterior censendus est. Quoties is est corporis positus, ut aeger in alterutrum latus decumbat collo, manibus, cruribusque sanorum adinstar parum reductis, bonus hic decubitus est, ceu non omnes torpescentes musculos significans: non ita secundus habendus *supinus cervice, manibus, cruribusque porrectis*, inquit Jo. Conr. BARKUSEN (coll. med. pract. gen.). Quum aeger in dorsum resupinus in lecto cubat, et propriae gravitati se abjicit instar cadaveris, pavendum est; resolutionem siquidem virium declarat. Neque minor esse debet metus, quum pronus ad pedes e cubile delabitur, vel supinus crura inaequaliter dispersa, nudaque tenet, aut valde contracta, disjunctaque,

et ore assidue hiante dormit; *conamen* enim *indicat*, notante eximio G. Vanswieten (de decubitu in feb. cont. putrid.), *quo natura, directo hoc omnium vasorum per artus distributorum situ, humorum motus per illa adhuc juvare conatur.* In acuti mali impetu residere velle, malum quidem; at pessimum in pulmonum inflammatione, inquit laudatus Barkusen (loc. cit.). Pessimum etiam in angina, pleuritide, phthisi, tussi; antevertit enim saepe numero suffocationem. Inquietus decubitus cum stragulorum continua de pectore remotione, perpetuoque membrorum motu, semper malus in acutis morbis. Ex anxietate periculo plena, ut plurimum timendum est *malae in exanthematicis ad interiora metastasis, ut in variolis morbillis, petechiis* (De-Gorter de decubitu). In faucium, ac meningum inflammatione, inque omnibus capitis, et pectoris morbis, ut malum decubitum verebimur *in dorsum jacere mento elevato, vel ad pectus presso, vel praeter morem in ventrem dormire: in hoc, vel illud latus dumtaxat decumbere posse, vel prono corpore, atque admodum inquiete,* ait laudatus Auctor (ibid.). A caussis dissimilis corporis positus, varia morborum erui potest prognosis juxta variam horumce sedem.

XXXVIII. Ex hactenus prolatis scitu pernecessariis satis constat, cur divinus Senex,

artem longam, vitam brevem, judicium difficile, experimentum periculosum pronunciaverit. At subdit: *oportet autem non modo se ipsum exhibere, quae oportet facientem, sed etiam aegrum, et praesentes, et externa.* Haec qui considerat, facile assequitur, Medicum nondum, uti par est, suo munere fungi, nisi ab aegro, et adstantibus sciscitatione cum latentium, tum externorum sibi comparet notiones, quae summae sunt in ineundis curationibus necessitatis, utilitatisque. Exactissima sit oportet interrogatio, sive consideremus vitae, vivendique rationem, sive aetatem, temperamenta, idiosyncrasiam, vel morbos praesentes, aut praegressos. Quum enim veram, quantum humano ingenio concessum est, morbi caussam ex dictis saepe absconditis una cum evidentibus compositis eruere debeat Medicus, multaque emergant saepe implexa, faciles captu sunt difficultates, quae ipsum premere possunt, necnon patet sedulae interrogationis necessitas. Quis sane ea pollet mentis acie, qua caussarum conclusionem elicere valeat, quarum aut solus aeger, vel familiares parentes conscii tantum sunt, nisi exacta, ac perdiligenti sciscitatione haec, quae sensubus impervia sunt, introspicere satagat, et observatis majorem lucem adjungere? Ambages, quibus in aegrorum interrogatione quotidie invol-

vimur (sive cum pueris agendum sit, vel cum illis, quibus adeo crassa cervix est, ut quae sentiunt, aut modum, quo aegritudine correpti sunt, et quo progressa est, referre nesciant, aut cum aliis, qui circumvolutis verbis turpe malum obtegere student), illos temeritate, inscitiaque arguunt, qui una, vel altera percunctatione raptim facta se omnia adeptos credunt, dum expertissimi, et numquam satis imitandi in arte Viri omnem adhibent operam in sciscitatione, quo ab erroribus in auspicanda cura se reddant, quantum fieri potest, immunes. Quam ob rem interrogatio primum versetur circa victus, vivendique rationem; quum enim aër saepe, aut cibus, et potus, vel aliae res non naturales suam conferant symbolam evolutioni morborum, quumque et Medicum, et aegrum non raro lateat praegressa caussa, quumque eadem phaenomena possint a dissimili caussa latente profluere, inconsiderata conclusio erit, nisi hanc praecedat antecedentium cognitio. Optimae diagnosi non parum etiam confert notio morborum, quibus antea vexatus fuerit aeger, num adventitii extiterint, an sint haereditarii; siquis enim, ad exemplum, qui pleuritidem passus est, in pectoris morbum incidat dolore, anxietate, tussi, febre acuta stipatum, ab anteacti morbi scientia, aegrique relatu in suspicionem jure cadet Medicus, recidivo pectoris

morbo inflammatorio eumdem plecti, iisdemmet morbi conjunctis renascentibus. At judicium quodammodo cohibebit, licet eadem sint morbi phaenomena, neque idem consilium inibit, si aegrum podagrae obnoxium noverit, atque compertum habebit, ex hac, vel post lenem insultum silente, vel post fugacem accessum evanida, alias ipsum aegrum invasisse cum lateris dolore, difficili spiritu, et tussi. Consideratio itaque ex relatu in mentem Clinici revocata et certiori instituendae diagnosi, et certioribus eruendis indicationibus, et in eligendis remediis idoneis eum ipsum dirigere valet. Patet etiam, quanti intersit medico animadversio ad idiosyncrasiam, temperamentum, solidorum, fluidorumque vitia. Ad haereditarios quod attinet morbos, etsi quacumque aetate evolvi hi possint in filiis, neque eadem saevitia, duratione, nec simili modo hos adoriantur, torqueantque: nihilo tamen secius haud ita facile errabit Medicus, si quum de subito, et obscuro agitur morbo, quo filius antea sanus teneatur, in cognitum, et natura sua haereditarium refundet, probe gnarus filios utplurimum morbis esse obnoxios, quos parentes, et avi pati consueverunt. Neque curanti multum facesset negotii diversa aetas, aut sedes morbi varia, aut dissimilis evolutionis modus; constat enim experientia hos morbos in quibusdam ma-

turius, tardius in aliis erumpere. At omnibus quoque notum est, eamdemmet caussam personam induere aliorum morborum, et re probe inspecta, ipsam esse per traducem adquisitam. Per quam raro a morbis gentilitiis immunes sunt nati, quamvis nonnulli semetipsos antidotis liberasse glorientur. Caveat porro quisquis, ne nimium novorum remediorum studiosus sit, multoque magis illorum, quae arcani titulo praedicantur. Quot horum poenam tristissime luunt! Nihil admittendum est, quod sana ratio, constans observatio, et fida experientia non firmaverit. Neque minus sedula antecedentium morborum, qui adventitii dicuntur, ratio habenda est a Medico; quum neminem lateat praedispositio, qua corpus nostrum ad hunc prae alio morbo aptius redditur. Qui semel pleuritide affectus fuit, eadem iterum corripitur a qualibet aëris vicissitudine, ac vehementi animi pathemate, verbo a caussis insensilem cutis halitum perturbantibus: quem periodica febris semel exercuit, ni sibi prospiciat in usu rerum non naturalium, in eamdem hic saepe relabitur, et eadem (quod usu venit) tempestate. Sunt enim morbi, quorum caussa non facile viribus vitae, difficilius remediis etiam specificis subigi, expelli radicitus potest: vel si placet, ea est corporis proclivitas, ob quam accedente caussa

occasionali, novus, sed ejusdem naturae fomes renovatur, cujus evolutio sagaci etiam percuntatori fucum facere saepe solet; hanc ob rem Pratici est, nunquam negligere anni constitutionem, et tempestatem, inter quas his febribus opportuniores sunt ver, et autumnus. Haec quempiam circumspesctum faciant in definiendo febris genio: et quamvis febris prima fronte mentiatur indolem remittentis continuae, aut febris acutae inflammatoriae; praegressi tamen morbi, anni tempus, procedendi modus in eruendis indicationibus, seligendisque remediis tutius Clinicum dirigant. Quid? si febris periodicae caussa scenam saepe ludat arthritidis, doloris lateris, vomitus, cetera, quod mihi saepius videre contigit coram auditoribus in nosocomio D. J. Baptistae.

XXXIX. Inter sciscitationes praecipua quoque est illa, quae circa victus, vivendique rationem versatur. Veritas physiologica est, partes solidas, fluidasque ex successiva functionum actione sensim deleri, imminui, quarum reparationi alimenta necessaria sunt. Ex his constamus, quibus nutrimur; ergo, ut pateat quaenam fuerit reparatio, ad exactam cibi, potusque notionem confugiat Medicus oportet: tum prae oculis habeat aetatem, vitam an desidem, an exercitatam, anni tempora, constitutionem, corporis statum an sanum, an caducum. Generatim

illi, qui in viridi, floridaque aetate constituti sunt, quorumque corpus firmat exercitium et optima gaudent sanitate, non ita facile laeduntur ab omnibus digestionis vi aegrius solvendis alimentis, ut illi, quos debilis valetudo, otium angit, exsolvit. Idem esto judicium de animi pathematibus: in iis, quos gaudium, hilaritas occupat, majus est nervosi spiritus, aliorumque humorum dispendium, quam in aliis, qui tristitia, diuturnis curis continuis fatigantur. Primis nulli erit detrimento copiosior cibus, secundis plurimum nocebit, Quandoque, licet delicatula sit corporis constitutio, uberior tamen exigitur alimenti copia ceu aliis quoque suppeditandi: in hoc censu sunt foeminae in utero gerentes, lactantes. His generatim traditis, instituti nostri munus postulat, ut ad intimiorem victus, vivendique rationis considerationem descendamus, et vitia, quae respectu quantitatis, qualitatisque ingestorum ut plurimum emergunt, cum in primis viis, tum in sanguineo latice, ac ceteris humoribus, perpendamus, inque generales practicas his occurrendi leges animadvertamus. Et primum sciscitandus aeger est, num copiosioribus cibis ventriculum gravaverit, an nimium ab ipsis abstinuerit. Indebita enim copia ventriculum distendit, onerat: exinde oriuntur dolores, anxietas a minus libero diaphragmatis

motu, gravis anhelitus, jecinoris, aliorumque viscerum adjacentium compressio: ab his turbata digestio creat morbosa in primis viis symptomata, nauseam, cibi fastidium, vomitum, alvi fluxum: crudus chylus humoribus in circulum pulsis affusus cacochymiam generat, hos ad corruptionem disponit, una cum virium defectu. Vitiis primarum viarum aut jam natis, aut proveniendis facere satis possunt vomitum, aut alvum provocantia, stomacho utilia, et modica alimenti ingestio: humorum in sanguine cruditatem, indolem ad corruptionem pronam, corroborantia, amara, juxta aegri temperiem, aetatem, idiosyncrasiam magis, aut minus actuosa, prudens cibi quantitas, corporisque exercitatio corrigent. At quantum officit nimia ingesti quantitas, tantumdem nocet debito parcior ab eodem abstinentia: quandoquidem praeter famem initio vix ferendam, et postea deletam sitis quoque inducitur in dies molestior: ex defectu humidi nato emanant alvi obstipatio, parcitas urinae, ardor, imperfecta aliorum humorum, praecipue nervosi succi secretio, hinc debilitas, congestiones viscerum, mors. His medendi ratio conveniens posita esse debet in nutrientibus; at paulatina sit euchymi cibi exhibitio, ne fractae stomachi vires opprimantur: potius horum copiae supplebunt nutrientia, et roborantia applicita,

vel injecta. Praeter quantitatem ciborum, aut parcitatem modum excedentes, in horum qualitatem sedulo inquirat prudens Medicus, et sciscitando expendat, num aeger abusus fuerit alimentis tenacibus, fumo, sale induratis, aut pinguibus, glutinosis, an immaturis, dyspeptis, farinosis, terrestribus, mucosis, flatulentisve, tum vini plenis potionibus, fervidis, aut substantiis mellitis, saccharo conditis, facile fermentantibus; quaelibet memoratarum qualitatum sua parit vitia cum in primis viis, tum in sanguine, aliisque humoribus, idoneis remediis corrigenda. A tenacibus enim, pinguibus, siccatisque fumo, vel sale multiplex esse potest malorum origo, puta singultus, cardialgiae, ructus, fluoris alvi, cholerae, perque consensum anxietatis, somni turbati, aliorumque. His pro re nata obviam eundum est primum remediis, quae per alvum, perque os, si natura vergat, collectas sordes ejiciant, dein illis, quae debiles erigant stomachi vires, atque intestinorum, debitamque humoribus salivalibus fluiditatem restituant. Si ad circumeuntia fluida vitium processerit, in usum vocanda sunt praesidia, quae mucosam, glutinosam horum indolem ex tardo motu vitali natam emendare valent. A rerum, de quibus loquimur, natura progenitus lentor ad spontaneam corruptionem tendit; pro-

pterea diluentia, aquosa, subacida prudenter adhibita quoque commendantur. Hic porro lentor ab illo distinguendus est, quem auctus facit vitalis motus, cui solvendo conferunt sanguinis missio, antiphlogistica, diaphoresim blande moventia, aut diuresim. Uterque lentor suis gaudet signis praecipuis. Signa lentoris ab alimentis mox recensitis huc ferme recidunt: lentus humorum motus, anxietas, imminutae secretiones, excretionesque, cachexia, languidior ventriculi, et intestinorum actio, pulsus tardus, debilis: major ex adverso humorum ab aucta circulatione concrescendi potentia inducit arteriarum impletionem, pulsum frequentem, durum, fere suppressas omnes evacuationes, oculorum scintillationem, lassitudinem, spiritum gravem, anhelum, linguae, oris, cutis, nariumque siccitatem, infarctum quandoque encephali, pulmonum, aliarumque partium, et quod caput est, febrem acutam vel simplicem, vel remittentem; ex quibus intelligitur quam diversa in alterutro curando medendi ratio ineunda sit. Nec minus sedulam curam expostulant morbi, qui ab immaturis fructibus generantur. Ab hac enim caussa profluunt nausea, vomitus, crudi copiosi fluxus, dysenteria, soda, colica, imi ventris, potissimum hypochondriorum tumor, morsus stomachi, vapor alienus.

Ab his edocemur, ut quantocius morborum fomes eliminetur indicatis aut purgantibus, aut vomitum cientibus, secus humorum massa ab hoc infecta pejoribus aerumnis occasionem dabit, pallori scilicet, leucophlegmatiae, obstructionibus, notabili mensium in foeminis imminutioni, aut horum defectui, quandoque hydropi, cetera. Quod vero spectat ad humorum depravationem, quam inducunt substantiae sale, fumoque duratae, hanc a praesidiis primum detergentibus, laxantibus, diluentibus, dein ab illis, quae stomachi vires erigere valent, mutuantur; quemadmodum usum alcalinorum commendant; quoties morbi caussam sistunt mellita, saccharata facile fermentabilia; efficax enim remedium est, quod acido adversatur: nec pauci faciunt aromatica resinosa, et roborantia, teste De-Gorter (de nutrimento lib. cit.), quo flatus, aciditatem, morbosque nervorum ab his illatos corrigant. Notum pariter est farinacea, terrestria, mucosa glutinoso principio, cum accumulato in primis viis, tum in sanguine occasionem praebere: nec mirum videbitur cur, dum imus venter tumet, reliquum corpus ob nutrimenti defectum macie conficiatur, si consideremus necessarium ex tenaci glutine non eructari ab arteriis per omnem intestinorum cavum tenuem humorem, quo ingesta solvuntur, ut bonus chylus a vasis

lacteis absorbendus obtineatur. Cur hoc principio glutinoso peccantes icterici saepe sunt, nisi et ex inertia, ac visciditate, quibus inficiuntur biliosus, et pancreaticus humor, et ex difficili horum per emissaria eodem glutine obducta in duodenum fluxu? Quae abstergunt, et leni alvi ductione evacuant primum idonea sunt, dein resolventia, inter quae diluentia, aquosa huic humorum densitati solvendae opportuniora sunt. Ut inflammatoriis concretionibus resolvendis sales neutri utilissimi experiuntur, ita sales alcalini ad glutinosas lentas concretiones magis laudantur a Practicis. Scicitandus quoque aeger, an piscium, animalium carne, ovis in nidorem conversis, abusus fuerit. *Haec*, ut inquit De-Gorter (loco cit.), *ructum, et alvi fluorem foetentem cum humoris colliquatione inducentia acescentibus, vinosis temperanda.* At licet haec omnia rationi, et experientiae consentanea sint, consuetudinis tamen vis ab his quandoque declinare nos cogit; sunt enim homines, qui noxia hujus imperio insontes ferunt, laeduntur a bonis insuetis: ex hoc evenit, ut exactis diaetae, et artis legibus saepe nequeant adstringi aegrotantes. Quot inter operarios, aliosque melioris fortunae homines ab exquisitis cibis virium debilitatem experiuntur, nauseam, cetera? Durus agricola atro pane durissimo, car-

nibus sale, et fumo conditis quotidie pastus, robusto corpore sustinet labores improbos, ab optimis, euchymis dapibus destituitur nervis. Ne igitur, dum opem ferre satagimus, noceamus, consuetudinis ratio habenda est. Tantam siquidem in corpus nostrum facultatem obtinet consuetudo, ut et bona, ac temperata diaeta, si servari nequeat, abnormi periculosior interdum sit: *a multo tempore consueta*, inquit Hippocrates (de victus ratione), *etiamsi deteriora fuerint, insuetis minus molesta esse solent.* Quod de victu, idem affirmandum pariter est de vivendi ratione, quam ab aegro sollicite inquirere oportet. Quotidiana sunt hominum exempla, qui a longis annis munere aliquo fungentes laborem, et otium circino veluti demetiuntur ita, ut, vix aliqua succedat ad aliquod tempus aequilibrii sublatio, sensim deflectant a bona, qua gaudent, sanitate, inque morbos animi, et corporis incidant, non raro difficultate plenos. Qui sartam, tectamque protegit valetudinem exercitio, si sedentariae vitae se dedat, brevi concidit in virium debilitatem, ventriculi languorem, ex cujus infracta vi alimentorum digestio pervertitur, et pravis humoribus in numero multa mala cessuris via pereluditur. Neque infrequens est illorum ex sano in morbosum corporis statum mutatio, qui piscibus,

vegetabilibus, aliisque coctu facilibus alimentis a multo tempore assueti carnes licet molles in horum locum sufficiunt. Quot non aerumnis vexantur? Nausca, cibi fastidium, vomitus, totius corporis concidentia, cetera hos angunt, a quibus non artis ope, sed renovata vitae ratione feliciter liberantur. Mollities, qua educantur magnatum infantes, inconsultum, et durum vitae, vivendique regimen, quo rusticorum nati aluntur, et crescunt, an haec confirmant? Cur illi ni exquisitis cibis continuo vescantur, et consuetis vestibus muniantur ab aëris vicissitudinibus, morbis extemplo patent, dum alii furfureo pane, aut inaptissima pulte quotidie pasti, laceroque indusio corpus tegentes incolumes, athletici adolescunt? Haec sciscitationis, et consuetudinis cum utilitatem, tum notionem necessariam probant circa victus, vivendi, et rerum assuetarum rationem; *quod enim contra consuetudinem est, nocet, seu molle, seu durum* (Celsus cap. III). Interrogandus quoque aeger est de remediis, quae in morbis praegressis adhibuit, quaenam tulerit, aut propria temperies, seu idiosyncrasia recusaverit. *Ante omnia*, ait C. Celsus (lib. I de medicina cap. III) *scire convenit naturam corporis: quia alii graciles, alii obesi sunt, alii calidi, alii frigidiores, alii humidi, alii sicciores; alios*

adstricta, alios resoluta alvus exercet. Raro quisquam non aliquam partem corporis imbecillem habet; tenuis vero homo implere se debet, plenus extenuare, etc. Plurimi interest nosse aegri naturam, inquit alibi Auctor citatus (lib. I in praefatione): *humidum magis, an magis siccum corpus ejus sit.... validi nervi, an infirmi.... ex his enim, similibusque, saepe curandi nova ratio ducenda est.* At non interest solum perspectam habere hominis temperiem, sed ejusdem proprietates, seu idiosyncrasiam, vel, ut aliis placet; specialem constitutionem oportet non ignorare, quum haec solis experimentis detegi, vel intelligi ab aegri relatu possit. Sunt enim, qui a paucis cruoris guttulis, pertusa vena, exilientibus animo delinquunt, dum alios effusa libra ne commovet quidem. Quot sunt, qui ex hoc, vel illo pharmaco, licet, ut inquit CELSUS, accommodato, laeduntur? Pauca rhabarbari grana matronam meae curae concreditam in pertinacem lipothymiam conjecerunt, aliam in diras convulsiones: quemadmodum ex pulpa cassiae plures novi mulieres, et viros cardialgia, spasmodicis affectubus, vomitu, notabili abdominis inflatione lacessitos, quae praesidia innumeris aliis praesto sunt. Puerperae fere omnes a gravi medicamentorum nidore recreantur, si morbo-

rum nervis excruciantur: quaedam sunt, quibus penetrantissima florum, herbarumque effluvia remedio sunt praesentissimo. Tandem utile est scire quid, quando passus sit aeger, quas crises morbus subierit, quibus hic cesserit remediis, et inter haec quae utilia, quae noxia fuerint. Hoc pacto quilibet Medicus maxime, ut phrasi utar Celsi, sibi cavebit in cujuslibet aegritudinis therapeja.

His, quantum rerum copia sinebat, ita breviter expositis, ad aliam inter principes magni Senis leges commentis illustrandam, ne nimii simus, jam properamus.

PRAECEPTUM II.

Quae judicantur, aut judicata sunt perfecte, neque movere oportet, neque innovare sive purgantibus, sive aliis irritamentis: sed sinere. Hipp. aph. xx, sect. i.

§. I.

Generales in primo praecepto fontes, a quibus morborum diagnosis, et prognosis hauriri possunt, quum aperuerim, postulat opus, ut in hoc illa perpendam, quae cautum, prudentemque reddere debent Medicum in remediorum praescriptione, quibus, nisi apposita sint, saluberrimi naturae motus frequentissime turbari possunt. At hujusce praecepti, ac moniti ut aequa notio adipiscatur, conferent animadversiones in signa judicationum incipientium, et illarum, quas *absolutas* Practici vocant. Tunc incoepta consideratur judicatio, quum quaedam coctionis signa in urinis potissimum apparent, aut morbosa materies per *metastasim* ad quasdam corporis partes delata abscessum gignit: id vero fit, quando morbosus fomes concoctionem subire incipit, ac mitis adeo evadit, ut actiones corporis minus turbet, laedatque. Ex quo factum est, ut gravissimi Auctores hanc mutationem dixerint

sanguinis despumationem. Haec coctio, et sequens separatio, seu despumatio cum a Veteribus, tum a sanioribus Neotericis vocatur *crisis*. Hujuscemodi crisium doctrinam diu, multumque non pauci exagitarunt; quin immo, quum aegros, quos a crisibus manifestis ceu in vado constitutos crederent, postea recidivos, et cum vitae discrimine cum morbo iterum pugnare, aut ad tempus ab aegritudine liberos in eamdem relabi conspicerent, illam pauci primum facere, dein prorsus, tanquam fallacem, expungere nulli dubitarunt. Mehercle non in omnibus morbis crises succedere, neque signa adeo conspicua esse perturbationum criticarum id apertissime fatetur inter alios Thomas Sydenham (sect. v, cap. 2), et monuere veteres Medici, dederuntque signa, quibus recidivae post crises, ut inferius notabimus, praevideri possent. Horum sententiae fidem facit experientia, qua constat, saepe in morbis gravioribus naturam quandoque haud posse uno certamine morbum debellare; sed fallacibus datis induciis morbum denuo succedere, cujus caussam superstitem novae turbae excitatae ad multas vias determinant, perque convenientiores idoneo tempore expellunt. At licet haec ita se habeant, fatendum tamen est, crises in morbis certissime notari, si ea, quam Veteres adhi-

buere, diligentia quid in morbis eveniat singulis diebus, quaenam sint hujus mutationes, an cruditatem adhuc significent, an incipientem coctionem, an criticam evacuationem, sigillatim, et sedulo pensitentur. Quandoque in cruditate morbi vehementes quidem sunt motus, et ejusdem fomes ad coctionem quodammodo disponitur ita, ut quaedam ejus pars ex universo humorum circuitu secreta eliminetur; sed quum imperfecta adhuc coctio sit, materies ad peculiaria loca migrat, in quibus denuo mutata perfecte digeritur. Hanc cruditatem enunciant actiones laesae, quae, ut in primo praecepto dictum est, multimode a naturali statu recedentes praesentem morbi statum, et gradum significant; ab incremento enim, vel decremento virium functionum vitalium: a majori, minorive animalium languore: a secretis, excretisque cum crudi, tum materiei morbosae conditio, et motus assequi jure possunt. Hinc crisis distinctiones conflatae sunt in *perfectam*, et *imperfectam*, *constantem*, et *inconstantem*, *exiguam*, et *copiosam*, *sensibilem*, et *sensubus imperviam*. Omnes hae crisium differentiae, ut quisque videt, a multiplici caussa profluere possunt, quae variam humoribus induunt mutationem: puta a morbi genio, temperamento, idiosyncrasia, a regimine, et me-

dendi norma, ab evacuationibus. Haec illorum divisionem expungere videntur in *bonam*, et *malam*, quum quod criticum est, *repentinae*, teste Barkusen (lib. toties cit.), *ad sanitatem conversioni* respondeat. Ne igitur Medicus, quantum in se est, decipiatur, signa incipientis, aut perfectae judicationis prosequatur oportet, ut, quid movendum, aut sinendum sit, decernere possit. Quamobrem a symptomatibus primum, ab aegrotantis temperie, a praegressi victus, vivendique modo, a climate: secundo a signis coctionis in excretis petenda eadem sunt, ceu ab iis, quae prodendo caussae morbosae genio magis obvia sunt, et tutiora; ab his enim evidentior morbi status, ejusque impetus manifestantur, et tutius proferri potest judicium de progressu morbi, et hujus caussae ad excretionem dispositione. Quandoque levia sunt conjuncta, saeviunt alias in cruditatis statu, seu, ut cum Practicis loquamur, incerti sunt exitus: ad exemplum pulsus celer, debilis, durus, inaequalis: lassitudo, tremores, motus convulsivi: mentis aberrationes: animalium, naturalium functionum laesiones variae: vomitus materiei biliosae, vel alvi dejectiones foetidissimae, copiosae: sudor nimius, praecox, aut cutis arida, etc. Porro quum et a motu sanguinis progressivo, intestinoque, et a vi partium

solidarum caussa morbum faciens agitetur, concutiatur, priusquam aut resolutionem subeat, aut in novas formas evacuationi aptas cogatur, hae vitae vires cum morbi viribus comparandae sedulo sunt. Hinc in aequa morbi, et hujus caussae, tum naturae virium disquisitione versabitur ille, qui ad caussas antecedentes, ad symptomata, tum ad aetatem, temperiem, anni constitutionem, tempestatem, idiosyncrasiam, morbos praegressos adventitios, aut insitos, horumque, et remediorum adhibitorum exitus. respiciet: his fretus naturae ductum perpendet, videbitque an simplicibus auxiliis, an mediocribus, an actuosis obtinendae aequabili depravatae mixtionis resolutioni, aut eliminationi opus sit, an salutaribus naturae motubus sinenda cura. Atque hac in deliberatione tutior adhuc erit Medicus, si coctionis tempora prae oculis habuerit, et in hujus signa aut subobscura, aut evidentia, rite inquisiverit. Hisce vero animadversionibus lucem affulgebit consideratio functionum vitalium, ceterarumque; ex his saeviorem, aut mitiorem fieri morbum intelliget, spemque futurae coctionis naturae viribus, vel artis adminiculo inceptae, aut perfectae, conjicere poterit. Quamobrem, si ex habita, ut dictum est, caussarum antecedentium, et inhaerentium ratione, exque caussae morbi, hujus-

que symptomatum cum vitae viribus, seu cum functionibus comparatione par constiterit natura morbo vincendo, nil movendum erit, nilque praeter conveniens decoctum, idoneamque diaetam praescribendum, sicuti se gessit immortalis Thomas Sydenham hujus praecepti memor (vid. sect. v, cap. 2); si contra caussae pertinaciores sint, gravioribus in dies stipatae conjunctis, et vires corporis, actionesque fere omnes a sanis conditionibus multum recedere comperiat Medicus, vel naturam detegat vi morbi oppressam languescere, serio meditabitur, an virium sit *vera debilitas*: an harum ex turgescente materia *oppressio*: an a nimio humorum impetu, vel lentore, aut stimulo. Hoc pacto se gerens indicationes eruet, quibus necessario faciendum erit satis, nec praepostera seliget auxilia, aut viis, ad quas tendere natura videbitur, contraria; non enim ea divini Senis mens est, ut nihil movendum unquam sit, dum quaedam apparere incipiunt, aut absoluta sunt judicationis signa, sed actuosam, et praecipitem illorum medendi methodum redarguit, qua, nullo circumstantiarum habito discrimine, naturae motus quodammodo ordinatos, et ad meliorem frugem cum bonis signis dispositos irritamentis continuo turbant, evertunt. Sunt quaedam febrium species, quas, ut loquar cum immortali

Sydenham, *natura methodo sibi peculiari sine visibili aliqua evacuatione ablegat; reducendo scilicet in sanguinis massam, illique assimilando materiam illam morbificam, quae cum eo minus quadrabat.*

II. Coctionis signa nil aliud sunt, quam vitae vires, quas produnt functiones potissimum vitales in excretis una cum morbosorum affectuum remissione. Quo magis itaque symptomata cruditatis, quae in superioribus retulimus, a servitia recedunt, et ad naturalem statum vergunt, eo majorem judicationis spem habebimus, neque remediis inconsultis naturam turbabimus. At saepe fit, ut quamvis morbosus humor quaedam coctionis signa praebeat, nonnunquam tamen vel ex imparibus naturae viribus, vel aliam ob caussam subsistat ita, ut dum se melius habere fatetur aeger, alia tamen se prodant signa materiae morbosae adhuc inhaerentis, quae deinceps crisi *metastatica* aliis in partibus collecta manifestatur tumore puta, dolore, tensione, pruritu, vel in cute exanthematibus: alias evenit, ut sub ipsa coctione cruditatem resolvente caussa morbi recrudescat ita, ut solidorum vires prorsus infringat, nervos pessime afficiat, et cruda denuo facta aegrotantem evidentius in vitae discrimen conjiciat, non raro interimat. In primo casu naturae mo-

tubus obsecundandum est remediis, quae sedes morbi, hujus genius indicabunt, nullis adhibitis irritamentis, quae aut inceptae a natura judicationi obstaculum ponant, aut humores alios ab ipsa deductos ad sanguineam massam iterum revocent. In altero, quum mutatio morbi crisim saepe metastaticam mentiatur, ut in exanthematibus notatur, et evectum potius malignitatis, seu humoris degeneris gradum, quam utilem excretionem enunciet, vitali indicationi prospiciendum est remediis, quae majori vi primariam morbi caussam contineant, corrigant, hancque ad veram crisim disponant; quum vero ea oboritur materiei morbosae exagitatio, ut de bona coctione ex signis a functionibus vitalibus, naturalibus, et animalibus petendis sperari possit, cavendum est, ne ipsam aut incoeptam urgeamus, aut perfectam interturbemus. Cur errores ab aegris, vel adstantibus commissi adeo nocent his in circumstantiis? Cur irritantia, purgantia his in morbi stadiis frequentissima sunt inopinatae mali mutationis, si non lethalis, novae profecto aegritudinis caussa, cujus saepe curriculus summum creat aegro, et Medico fastidium? At notandum est, coctionem, excretionemque caussae morbosae non eodem semper absolvi modo. Quandoque lenta resolutione peraguntur, et *lysis* a Practicis ap-

pellatur, seu *crisis resolutoria* : alias valida evacuatione, quae nominatur *crisis*. Numero multa esse possunt signa lysim, aut crisim indicantia. Praecipuos a quibus hauriuntur fontes generatim delibabimus. Inter hos peculiarem sibi vindicat attentionem pulsus; atque hujus characteres scriptos nobis relinquere nunquam sine admiratione legendos inter ceteros Franciscus Solano de Luque Medicus Hispanus, ejusque celeberrimus commentator Anglus James Nikell: si cum symptomatum remissione, cumque aliquo in excretis subactionis materiae morbosae signo, praecipue in urinis, pulsus inciduus exploratur (pulsus nempe, in quo duo, tres, quatuorque pulsationes gradatim procedentes supra se invicem assurgunt una cum arteriae mollitie), de mente Auctorum criticam per sudorem evacuationem praenunciabimus, cujus sudoris quantitas, praeeuntibus laudatis Viris, erit in ratione composita numeri, et vigoris ictuum in pulsu inciduo insurgentium: pulsus hic *undosus* quoque dicitur. At quum pulsus vehemens digitos ferit, qui magnus tamen non est, neque durus, quin imo ad contractionem pronus, si abdominis accedat sub umbilico gravitas, copulenturque flatus, borborygmi, praecordiorum elatio, pulsus intermittens (citati Auctores, Nordwisch novae, ra-

raeque observat. de pulsu), futurae per alvum judicationis praenuncium hic est, aut per vomitum, si de nausea, molesta hypochondriorum suspensione, ut inquiunt Jo. Cour. Barkusen (lib. cit.), Fridericus Hoffmannus (med. rational. systemat. de pulsu), Georgius Philippus Nenter (fundament. medic. theor. pract.), conqueratur aegrotans: licet communis Practicorum observatio doceat duas has criticas evacuationes rarissime disjungi. His vero ceu crisim, aut resolutoriam evacuationem, ut diximus, portendentibus robur addent aequa signorum concomitantium ratio, consideratio nempe virium aegrotantis, quae sat validae requiruntur, evidentium concoctionis phaenomenorum in urinis, alvi excretionibus, in sputis; neque parvi erit momenti in his rerum adjunctis animadversio in aegri mores, qui moderati, crisis proximae, aut progredientis spem firmant. Atque haec omnia certiora putabimus, si diebus (de quibus mox dicemus) *praenunciativis*, ut ajunt, et *criticis* apparebunt; praematura namque, in statu videlicet cruditatis, inefficacem morbi subactionem indicant: nimis tarda ob virium saepe debilitatem, promittunt difficilem morbi solutionem.

III. Ne vero, quantum in me est, aliquid scitu necessarium relinquam in consideratu lysis,

et crisis, harum generalia signa illico exponam. Tunc lysim incoeptam esse dijudicandum est, si phaenomena, quae in cruditate saeviebant, mitescere incipiant, placidiorque morbus progrediatur, vim resumant moderatam depraessae functiones vitales: si gravans quidam corporis sensus aegrum fastidiat a statu sano alienus, et stupore quodam actionum animalium, nec non torpore aliquo aeger afficiatur, interque haec secretiones, excretionesque placide succedant. Crisis vero signa multo evidentiora sunt; quum enim materia per morbi vim subacta, et mobilis reddita cum ceteris humoribus per vasa fluat, et ob crassitiem per insensibilem perspirationem difflari cito non possit, ad instar peregrini stimuli novas molestias creat, et perturbationes excitat, quas *criticas* appellant Clinici, quaeque pariter crisim aliquando comitantur. Generalia symptomata critica haec ferme ab Auctoribus traduntur, et observationibus confirmantur. *Nox accessionem praecedens molesta est*, inquit Hippocrates, *quae vero subsequitur, plerumque levior toleratu* (aphor. XIII, sect. 2): virium incrementum, vel consistens ipsarum robur: adaucta febris una cum intensioribus aestu, et siti: respiratio difficilior, lenta, profundior: multa praecordiorum anxietas: saepe vigiliae: somnus turbatus, deliria,

aut leves mentis aberrationes: sensuum obnubilatio, fatuitas: dolores caput, collum, ventriculum, intestina, aliasve corporis partes infestantes: in quibusdam aurium sonitus: varii ante oculos splendores: involuntaria lacrymatio: urinae difficultas, aut suppressio: vagi tremores, torpores: inter Veteres sunt, qui notant alios clamare, e lecto alios ceu furentes exilire, cubiti situm continuo mutare (AETIUS Tetrabi. II, sermon. I, cap. XIII, Paulus AEGINETA lib. II, ORIBASIUS synops lib. VI, cap. III, HIPPOCRAT. de morb. vulgarib. lib. VI). Haec generatim dicta sunto de signis, quae crisim praecedere solent; propria vero diversis crisibus a praecipuis morborum caussis petenda sunt. Scire praeterea oportet, signa veram crisim praevertentia, aeque et non raro antevertere crisim *metastaticam* ad cutim, hoc tantum discrimine, ut graviora sint, et periculo pleniora, tamquam pessimae utplurimum fomimitis morbosi qualitatis argumentum: febres exanthematicae id passim evincunt. Ne vero enumerata symptomata vere critica, seu perturbationes criticae cum falsis confundantur (quod plurimi nosse interest Medico, ne a novitate deceptus remediis aut stimulantibus, aut sedantibus, vel evacuantibus, quod saepe evenit, providos naturae motus perturbet), consideranda

haec veniunt: 1.° actionum prae reliquis vitalium sedula ratio habenda est; a laudabili harum statu, praecipue pulsus, quamvis caetera phaenomena mali ominis esse videantur, criticas tamen, et juxta allatas in superioribus pulsuum differentias excretiones utiles conjiciemus: 2.° progressus morbi in cruditate, incoepta, eodem progrediente, coctio in conjectura posita ex sudore, alvi excretionibus, urinis, inter haec signa evidentior adhuc ab aegrotantis levamine, et quiete animadversione digna, has turbas vere criticas confirmabunt: tandem stadia, seu dies morbi, haud neglecta hujus caussa proxima, quae (ut inquit Herman. Boerhaave in aphorism. de cognoscend. et curand. morb.) *pertinacior saepe est*, quibus, ut mox dicemus, haec contingere observarunt Veteres, et neoterici Medici seduli naturae ministri, spem adaugebunt prosperi harumce perturbationum criticarum, aut crisium exitus. Interea monendum est, ne haec proposita ita sint adamussim, et perpetua habenda, ut a prima horum signorum apparitione judicium illico ferendum sit de fausto morbi eventu; res enim licet ex voto successura videatur, experiunda tamen est per aliquot dierum curriculum, quandoquidem non uno impetu bona sit morbi mutatio, sed paulatina, uti copiosas evacuationes vicariae aliae,

et mites sequuntur. Neque praetereundum est, haud semper, et confestim perturbationibus criticis succedere bonae notae evacuationes; sed, si ad sanitatis statum quodammodo hae accedant, et functionum actio in melius verti videatur, ea lege Medicum debere consilia sua dirigere, ut juxta aegri conditiones, sexum videlicet, aetatem, vitae, vivendique genus, idiosyncrasiam, cetera, motus naturae non perturbet, sed his absque vi, et per viam, quam ipsa monstrat convenientem, opituletur. At optandum foret, ut cum his perturbationibus agendum semper foret: sed non raro evenit, ut his vix evolutis, vitae vires ex latente perversa humorum indole concidant, lethaliumque phaenomenorum insolitam, et tristem mutationem prodant. Haec mala rerum facies nil praeter ea, quae sustentandis primum viribus apta sunt, indicare videtur; deinde sollicitus sit Medicus de mutatione, an haec novum continendae, corrigendaeque materiae lumen affundat, an oberrans, vel ad aliquod viscus tendat, aut quandam excretionis viam obire velit, ut novae indicationi perbelle, et absque irritamentis facere possit satis; ratum enim habere debet, si juvare non poterit, saltem nocendum haud esse.

IV. Ut varia est critica evacuatio, ita varia quoque esse potest ratione temporis, quo evi-

dens fit, perficiturque; licet enim, ut ex superioribus constat, a morbosae materiae subactione, et coctione illae nascantur mutationes, et excretiones, quas attenta, et prudens morborum observatio tamquam perturbationes criticas, ac crises detexit, et quamvis materiae digestio, atque excretio pro aetatis discrimine, sexus, temperamenti, aliarumque caussarum modo tardiores, modo promptiores sint; ab omni tamen aevo probatum est caussam morbi spontanea naturae vi mutari, et ad separationem disponi certis determinatis diebus, qui *critici* nominantur. Hi sunt quaternarii in morbis acutis ad vigesimum usque, et ab hac die, in lentis, ad quadragesimum septenarii: qui, juxta divini Senis phrasim, *maximam potestatem habent, et rationi suae naturae perfecti sunt;* nempe quartus, septimus, undecimus, decimus quartus, decimus septimus, vigesimus, vigesimus septimus, quartus supra trigesimum, quadragesimus, et sic deinceps. Sunt etiam alii dies, quos *coincidentes* vocavit Medicinae Princeps, in quibus nempe per novam morbi accessionem ex irritata natura, vel ex turbato ob commissum ab aegris, adstantibus, aut Medico errorem ordine., lentiores, vel citiores excitantur inordinati motus, qui non a diei circuitu, sed ab alia caussa, quae cum illo coincideret,

nati, quamdam judicationem movent. Hinc ratio patet, ob quam morbi peracuti dicti, quorum judicatio intra septem utplurimum dies absolvi solet, ob accessionum vehementiam plures habeant dies criticos coincidentes, nempe tertium, quintum, et sextum, hisque diebus crises periculo plenae sint, et accelerent, pervertantque utiles diebus secretoriis futuras. Praeterea, quum superius dictum sit, definito quodam temporis spatio materiam morbosam subigi, solvi, et mutationes quasdam in urinis potissimum, aliisve excretionibus occurrere, quae signa coctionis nominavimus, saepe fit, ut diebus, in quibus judicatio succedere debet, nempe criticis haec non eveniat, sed ab his, quid in sequenti proximo die critico expectandum sit, indicetur. Hos dies appellavit *indices* Hippocrates. Patet inde, ex criticis quemlibet diem esse posse indicem critici mox subsequentis: ita quartus erit index septimi, hic undecimi, cetera. At in morbis vigesimum diem praetergredientibus minor morbi impetus, aut pervicacior ipsius fomes septimis tantum diebus indicandi potestatem concedunt. Quamvis vero sola, et fideli observatione fretus haec tradat laudatus Hippocrates, ne tamen quis credat haec esse veritates mathematicas; quin imo ipsemet divinus Auctor non semper in de-

finito die, sed circa illum judicia fieri ingenuus pronunciavit. Neque obstat, quod in pessimis quandoque morbis nil fere in horum curriculo detegi possit ordinati; sermo enim est de illis, qui crisi bona, et perfecta, vel fallaci, et imperfecta judicatione, in salutem, aut mortem, vel in meliorem, aut pejorem conditionem tendunt: dierum enim criticorum, et indicum observatio prognosim quammaxime promovet. Interea cautus sit in praedictionibus Medicus, nec faustum semper morbi exitum polliceatur: nihil negligat, nil temere agat: memor sit moniti Hippocratici: *acutorum* nempe *morborum non omnino certae sunt praedictiones neque mortis, neque sanitatis* (aphor. 19, sect. II).

V. Hactenus de crisi, diebus criticis, coincidentibus, indicibus, de signis coctionis dictum est. At quum coctionis signa, ratione certitudinis potiora sint crisium indiciis, utpote semper certa (HIPP., GALEN. de crisib.), quocumque morbi tempore fiant, non vero illa crisium, quae incerta non raro sunt, prout, teste Gerardo VAN-SWIETEN (de diebus criticis), *vel sola, vel cum aliis, vel in diversis morbi temporibus apparent*; paullo fusius ideo haec signa coctionis prosequemur, ut juxta perfectam, aut imperfectam, quae succedit, crisim quid

agendum, vel non agendum sit, probe teneamus. Aliud est *judicari*, aliud *judicatum* esse. Primum est, quum in excretionibus, potissimum in lotio signa conspicua sunt, quibus utilis evacuatio cum morbi, et symptomatum imminutione succedit. Judicatum vero morbum nominamus, quum absoluta crisis, seu evacuatio aegrum a morbo integrum relinquit; vera igitur morbi judicatio *crisis perfecta* dicitur, *imperfecta*, si aut in signis evacuationem praesagientibus, aut in ipsamet evacuatione quaedam notae desiderentur, vel aliena ipsam concomitentur. Quam ob rem ut perfectae crisis conscius esse possit Medicus, signa evacuationem praecedentia consideret, hujus copiam, naturam, vias. Nulla evacuatio laudabilis censeri debet, nisi in urinis potissimum, aut aliis excretionibus praecesserint coctionis indicia, tamquam, ut diximus, tuta. Cur in morbis acutis subita evacuatio mali utplurimum ominis est? Cur absque signis coctionis parum, aut nihil fidendum est evacuationibus? Perpendere quoque oportet, quaenam, et qua copia hae fiant. Si namque morbus acutus est, exque omnium collectione constat non parvam esse humoris morbum facientis quantitatem, parum laetabimur, si exigua illius copia, idoneo licet tempore, evacuabitur: fallaces erunt, si quae

fiunt, induciae, deque nova morbi exasperatione ab imperfecta crisi, vel intermissa lysi suspicari merito poterit; quodsi morbi indoles, et vehementia modum non excedant, quaeque succedit evacuatio immodica erit, hanc pro ancipiti habebit Medicus rationalis; dubium firmabunt pulsus debilis, faciei pallor, functionum animalium coincidentia. Neque parvi facienda est via, per quam peccantis materiae natura molitur eductionem; haec namque sua dicat organa secretioni, excretionique, hisque sapiens utitur cum in sanitate, tum in morbis. De hoc monito Clinicos edocet quotidiana experientia. Cur, exempli gratia, morbis a mensium, vel lochiorum retentione ortis, parvi quandoque, non raro difficilis emolumenti est instituta prudens venae sectio, prosunt quammaxime parcae sanguinis unciae secundum naturam fluentes, aut ab uteri vasis, vel haemorrhoidibus? Quoties cephalaeae a plenitudine natae exiguae sanguinis guttulae sponte a naribus fluentes prae lanceola extemplo medentur? Quoties in pectoris morbis ab acri morboso fomite suscitatis, dum remediis lenientibus, obvolventibus pectori dicatis, aut, si indicatio praesens erit, excreationi faventibus morbi natura inobsequens est, morbosam materiam pectus assidue lacessentem ipsa sensim digerit, perque

vicarias urinae vias penitus expungit? Idem evincunt bubones, eruptiones cutaneae, caetera, quae natura suscitat, ut longis pertinacissimis malis omnem artem eludentibus finem imponat. Hi providi naturae conatus abunde probant: 1.° consensum, qui multiplex est, atque analogiam inter partes: 2.° quum pertinax morbus longe trahitur absque signis nedum incipientis coctionis satius esse, habita semper, uti artis est, primae, vitalis nempe, indicationis ratione cunctari, quam remediis instare, salutaresque naturae motus interturbare: 3.° ut paucis, quae hucusque exposita sunt complectamur, tenendum esse summa opus esse nedum prudentia, et sedulitate in morborum curatione, sed remediorum simplicitate, ut inde possit Medicus rationalis eruere quid ferre valeant naturae vires, quidve recusent. Porro ut accuratius, quantum fieri possit, instituatur judicium de naturae viribus vincendo morbo paribus, nec ne, lumen affulgent: 1.° consideratio signorum, quae incoeptam in excretis indicant coctionem, tum pulsus, cui, si cetera consentiunt, ceu non adeo fallacissimo, ut sentit Cornelius Celsus, credimus, prout scilicet a naturali statu recedit excessu, seu impetu majori, vel defectu, sive minori celeritate, vel utroque emergente vitio inordinatus occurrit: 2.° sedula caussarum ratio: functionum plurium, aut

paucarum laesarum conditio: aetas: temperamentum: idiosyncrasia: morbi praegressi, congeniti. Medicum haec omnia docebunt, inchoante morbo, an vires naturae a nimia sanguinis copia obrutae levandae sint hujus eductione, an nimio stimulo debilitate compescentibus auxiliis, aut juxta stimuli indolem corrigentibus erigendae sint, an aliis pro re nata evacuantibus remediis sit occurrendum: si vero progrediente morbo mitiora in dies evadant morbosa phaenomena, jamque coctionis signa visenda se praebeant, eumdem monebunt cauto incedendum esse pede, ne saluberrimi naturae motus interturbentur. Propterea sciens, ac prudens Clinicus a remediorum farragine abstineat, secus, quid prosit, aut noceat nesciens, anceps feret judicium de meliori rerum statu, saepiusque, imperitorum more, hunc uni, aut alteri remedio tribuet, qui spontaneis naturae motubus concedendus est.

PRAECEPTUM III.

Quae ducere oportet, quo maxime vergunt, ea ducenda sunt, per loca convenientia.
HIPP. lib. I, aphor. XXI.

§. I.

QUUM natura sit morborum medicatrix, ut imposterum proponemus, Medicus naturae minister; naturae hinc directionem considerantes in antecedenti praecepto, probavimus, quum coctionem, et evacuationes molitur, sinendam sibi esse: neque silentio pressimus signa, quibus freti vitae actiones his peragendis aptas, aut non idoneas assequeremur. De modo in praesenti, quo Medicus naturae obsequens se gerere debeat in evacuationibus, pauca trademus. Reluctantibus naturae viribus, nullum sanari posse morbum res est indubia. Hinc ad quas tendant vias naturae conatus, quo morbi stadio morbosae caussae eliminationem tentent, utilem, aut noxiam sedula opus est consideratione. Reluctantibus naturae viribus nullum sanari posse morbum, nemo prudens, et sciens assensum denegat: progrediendi naturae motubus, seu dispositioni intentum animum adhibendum esse alias monuimus, ne his adjutor

praeposteris auxiliis obviam eat; quamobrem nedum virium conditionem, sed harum conatus, et vias, per quas evacuationem aptas portendunt rite, prudenterque Clinicus circumspiciat, ne praeposteris obsistat auxiliis. Porro ne errori subrepat locus, evacuationes criticae a symptomaticis sedulo distinguendae sunt; saepe namque fucati motus sunt a stimulo nati, qui pro salutaribus conaminibus habentur. Huic distinctioni, ne crambem repetamus, non parum luminis afferent, quae de crisi, et diebus criticis superius exposuimus. Quum cocta, non cruda, nisi materia turgeat, ut videbimus imposterum, movenda sint, consequens est, naturae inimicas fore evacuationes, propterea que Medicum non errare, si has, ceu symptomaticas, vel malas prudentibus artis regulis compescere sataget, secus debilitatae vires coctioni, et opportunis excretionibus impares evadent; at non ita de criticis cogitandum, vel enim vitae vim his, quas movit: protrahendis parem esse constat, sibimetipsi sinenda est, vel subdebilem, huic opitulari fas est prudentibus, et consonis auxiliis. Natura imperat, nec vi cogi, aut aberrari sinit; hinc facile assequitur, quanti facienda sint insita jam alte menti opinio illorum, qui ad aegrum accedentes, nullo habito circumstantiarum discrimine, eodem semper au-

xilio, tamquam unico morbos omnes superare autumant, doctrinamque criticarum perturbationum, lysium, et crisium parvi, aut nihili faciunt. At quum penes cordatos Practicos indubia sit haec animadversio, ut huic quantum licet fiat satis, considerari merentur: 1.° quae sint naturales, vigente sanitate, evacuationes: 2.° qui sint humores, quorum eductio dissimilibus e locis obtineri potest. Ad rem ut loquamur, plethora morbus est frequentissimus, cui dissimiles caussae praedisponentes, occasionales ansam praebere possunt: inter primas vita deses, victus opiparus, longior somnus, et liberalior, cui plerumque indulgeant, qui *ambiunt*, ut verbis utar cl. LIEUTAUD, *alios amystide vincere*, viridis aetas caussae sunt obviae gignendo sanguinis excessui, qui venae sectione brevi, aut longiori tramite instituta diminuitur, quum sanguis, ut inquiunt, humor sit generalis. Si vero huic exsuperantiae locum dederint sufflaminata diuturna, vel assueta profluvia tum arte concitata, tum spontanea per haemorrhoides, uteri vasa, satius erit naturae motubus, ni symptomatum vehementia nullam admittat moram, obtemperare apposita hyrudinum admotione. Hoc pacto obviam itur non solum sanguinis mictui, qui non infrequens est, sed vomitui, haemoptysi, quarum aerumnarum

caussa saepe est fractus a nimia distentione solidorum elater; sed numerosioribus venae sectionibus, de more multorum parcitur, lugendos morbos promoventibus.

II. Multi quoque interest prudens animadversio in morbi genium, hujusce stadium, quantitatemque excretorum, ut deliberari possit a Medico, num quo vergit natura, eo ducere oporteat: exemplum erit synochus putris, in quo, si idoneo tempore, praeviis coctionis signis alvi fluxus oboriatur, cum febris, et symptomatum remissione, conveniens erit ad hanc viam blandis, ubi opus, remediis caussam morbi allicere; e contra si alvus soluta initio appareat, febris, hujusque conjuncta increscant, quum insolens sit in hoc stadio hujuscemodi fluxus, huic si sit obsequens minister, errabit; sustinendis enim viribus intentus esse debet, et caussae corrigendae opportunis auxiliis, procul sepositis acutosis evacuantibus.

III. Neque aliter sentiendum est de alvo nimis soluta in morbis pectoris tum acutis, cum chronicis, nec non exanthematicis, in quorum censu contra multorum opinionem collocari possunt pectoris hydrops, ascites, quippe in his sputa, blandum sudorem, urinam amat natura. Assentiri ne jure potest illis, qui in vomitu, aut in infarctu viscerum imi ventris spontaneam obortam

diarrhoeam illico supprimere tentant remediis cardiacis, compescentibus opitulandi scopo? Nonne idem est hoc, ac motus naturales retundere, aegroque majus facessere negotium? At sive in sano corporis statu, sive per morbos ratio habenda sit organorum, quae natura humorum secretioni, excretionique dicavit, quaedam tamen est latitudo, qua, ipsa duce, Medico interdum concessum est unam in alterius locum viam sufficere; constat enim quotidiana praxi urinam quandoque supplere sudori, uti per cutim humores, qui intestina, artus, vesicam, pectus, caput lacessunt, utiliter educuntur. Sunt nempe viae, quas divinus Senex, candore suo numquam satis imitando, vocavit *reconditas*, quas fortassis novisset, si quamplurimis inventis, et illustrationibus anatomicis, quae per autopsiam sunt Posteriores adepti, non caruisset, ac mehercule ars nostra, prae tot disputationibus in umbra saepe ratiocinii ludentibus, ditior esset. Sed in orbitam revertamur. Quam ob rem quum aliqua ex his evacuationibus modum excedit, et vires enervat, eo ducere oportebit, quo iisdem in circumstantiis dirigere natura solet; hoc pacto non recedemus a praecepto, etiamsi critica fuerit evacuatio, et alteri faciemus satis, quod nos docet, primam inter indicationes esse vitalem.

IV. Praeterea nedum morbi stadio, quo succedunt evacuationes, et harum quantitati, sed qualitati probe consulendum est; quum enim definitum requiratur temporis spatium, varium quidem juxta morbi indolem, et vehementiam, ut mutatio fiat materiae morbosae, quae *coctio* nominatur, colligi quoque potest ab excreti qualitate, num bonum praesagiant omen, aut malum. Omnes consentiunt Practici, copiosam foetidam diarrhoeam in synochi putris statu, vel decremento obortam utilem esse, promovendamque si subsistat; dum in harum, vel aliarum febrium acutarum initio prodeuns ceu noxia idoneis auxiliis continenda est. In morbis acutis generatim colorem urinae subflavum cum albo, et levi sedimento alias laudavimus, non ita loquemur, si tenuis erit, pellucida, pejus, si nigro infecta sit sedimine. In morbis rheumaticis, aut illis, quorum sedes cutis est, blandus sudor, paullulum crassus, et foetidus apto tempore erumpens ceu utilis blandiendus est, e contra a nimio, et tenui verendum est, et caute vaticinandum; pessimum enim illorum consilium sanioris Medicinae praecepta convellunt, qui nulla habita temporis, genii morborum, et evacuationis ratione, potissimum si de morbis exanthematicis quaestio sit, omnem reponunt spem in remediis sudorem vi

pellentibus, et calefacientibus. Metuendum tunc quammaxime est, uti quotidiana prostant exempla, ne caussa morbi, cujuscumque naturae ea sit, intempestive, et vi ad cutem coacta sat fugax non sit, et praecipua corporis cava, aut nervorum systema impetens congestionibus facile, et multis modis degeneribus, aut convulsionibus non sit occasioni, vitaeque filum ocissime obrumpat. Quapropter non unam omnibus morbis methodum accommodari posse Medicus sciat: numquam sit propositi tenax: a juvantibus, et laedentibus, ducibus experientia, et observatione, sumat indicationes: naturae sit obsequens, sibique persuasum habeat cum in sanitate, tum in morbis quoties succedunt evacuationes, sive spontaneae sint, vel arte promotae, utilitatem, aut noxam ab aegri tolerantia metiri, non secus atque remediorum administrationem. Namque, ut scite docet HIPPOCRATES aph. lib. 10: *si qualia purgari oportet, purgentur, confert, et facile ferunt, si vero contraria difficulter.*

PRAECEPTUM IV.

Concocta purgare, et movere oportet, non cruda, neque in principio, nisi turgeant, plurima vero non turgent. Hipp. lib. I, aphor. xxii.

§. I.

Quum naturae vires morbo vincendo pares sunt, nil fere Medico agendum fore superius innuimus, et regulas tradidimus, quibus freti ab erroribus, quantum fieri potest, declinemus in evacuationibus, quae in perturbationibus criticis succedunt, et crisibus vel sinendis, aut promovendis. In praesens nostri interest considerare, quid sibi velit hic aureus divini Senis aphorismus. Neque cortice tenus, si vera cogito, accipiendus est, sed in intimum immortalis Viri sensum introspicere oportet. Quum fallax saepe sit quae supponitur humorum redundantia; hinc fit ut huic considerationi praemittamus, nedum excedentem in primis viis humorum copiam perpendendam fore, sed illam, quae in secundis aut congeritur, aut nimium adaucta existimatur, attentionem mereri. Quam ob rem 1.° notare expedit: naturae institutum unum (de acutis febrilibus morbis loquor), et idem sem-

per esse neminem fugere: 2.° hanc nullam pati vim, sed auxilium admittere: 3.° crudi coctionem naturae opus esse, non artis. Ex his sponte fluit, quanta sit opus animadversione, et prudentia, ne praeceps in morbi evolutione administretur auxilium, quod crudum potius exasperet, turbetque naturae motus. Hoc, et hujus excessus vel est in primis viis, ut ajunt Practici, vel in secundis: in alterutro casu leniendum potius est (ni urgeat necessitas, quam imposterum considerabimus) blandis, et circumstantiae aptis auxiliis, quam actuosis; definitum enim exigitur tempus, quo morbosa caussa naturae viribus solvi possit, et digeri, et ad criticam per loca idonea evacuationem disponi, mensque est omnium, qui vere artem callent, cunctando plus proficisci, quam nimium maturando. Obtinendae huic humorum praeparationi determinato tempore vis vitae indiget, vario tamen, prout varia est morbi indoles, major, vel minor ipsius intensitas, varia aetas, idiosyncrasia; saepe enim in ipsomet morbo dum per convenientia loca, et congruo morbi stadio coctum fauste promovetur, ratione tenuis temperiei, innatae, vel adventitiae, a morbis praegressis, vel insitis adauctae, verbo fatiscentibus viribus, retinetur, quod recrudescenti morbo ansam praebet. De hoc infortunio passim edoce-

mur ab evanido in urinis laudabili sedimento, ab intermisso critico alvi fluxu, sudore, a retrogradis morbis cutis, cetera. Plurimi itaque interest ad aequam lancem redigere vim vitae, sique superando morbo par esse videbitur, non turbanda, si claudicabit, leni stimulo ad loca, a quibus deflexit, denuo allicienda, secus pedissequa saepe sunt infortunia curatu perdifficilia. Res insuper indubia est, inopportunis remediis, et nimium actuosis functiones omnes turbari, febrim, quae moderata humorum subactioni, et coctioni favet, aut infringi, vel adaugeri; hinc *metastases* ad viscera vitalia, infarctus viscerum imi ventris, glandularum ubique congestiones, lymphatici, ut verbo utar Sereni Sammonici (vid. Kenchium in notis ad eumd. pag. 193), errores, leucophlegmatia, anasarca, vel in cavis pectoris, aut imi ventris hydrops.

II. Sed ut intimius, pro viribus, in mentem hippocraticam penetremus, non abs re mihi videtur quasdam persequi practicas considerationes experientia, et observatione suffultas. Neminem fugit, inter varias caussas praedisponentes, et occasionales acutarum febrium continuarum familiares esse, quae densitatem, vel dissolutionem conciliant humoribus. Harum caussae proximae magis, minusque saeviunt pro vario gradu

temporis, aetatis, temperamenti, erroris in rebus non naturalibus, coeli constitutionis. Jam vero si de humorum densa compage sermo est, notum est, crudi sedem potiorem in via sanguinis habendam esse, quum perquam rara se prodant in primis viis crudi signa; sitis enim, arida lingua, oris amaror defectum salivalium humorum, non congestionem significant. Hinc rationem assequimur damni, quod, suadentibus Practicis, purgantia, emetica post se trahunt. Itaque antecedentia, inhaerentia apprime pensitanda sunt, ut cito, tuto, prudenterque ars gravatae naturae succurrat. Porro ne a scopo deflectamus, rectaeque medendi viae, quantum fieri potest, inhaereamus, primum quid sit crudum, aut coctum, probe tenendum est. Crudus in morbis humor appellatur a Practicis, quum viribus vitae nondum subactus retinetur in corpore, aut praeter rationem eliminatur initio morbi. Coctum vero, quum praestituto quodam tempore in visceribus delitescens, a viscerum vitalium actione immutatum per convenientia loca exitum sibi parat. Interea putandum non est, hanc organorum vitalium actionem, quae *coctio* nominatur, immutabilibus legibus semper componi. Fatemur utique Veteres nimium id decantasse; at non accedimus ad Neotericos, qui contra doctrinam crisium acriter

insurgentes dies criticos inconsulto despiciunt (vid. cl. Josephum LIEUTAUD de febribus, in synops. univers. prax. med.). Definito quidem tempore natura indiget, ut opus suum dirigat, perficiatque, quum varia morbi indoles, major, minorve hujus intensitas, idiosyncrasia, coeli constitutio, cui, de mente immortalis SYDENHAM, aliquid semper dandum est, promptiori, vel tardiori humorum coctioni, et conferentibus evacuationibus non parum faveant. Enim vero ratum, compertumque est experientia in debili temperie, aut nervorum ataxia, fatiscentibus naturae viribus, crudum ab incepta coctione retractum exasperationi ansam praebere, nec non inceptae per urinam, alvum, cutem, evacuationis criticae intermissioni. Quam ob rem plurimi Medico interest vitae vim adamussim expendere, sique superando morbo par est, non turbanda: si impar, quicumque modus, et coctionis species sit, leni stimulo excitanda, et quo vergit alliciendа.

II. Ab exaratis sat, ni fallor, constat, quid sibi velit crudum. Superest consideratio sedis, quam occupat; vel enim in primis viis est, aut una cum sanguine in orbem agitur. Hanc rem, ut ordinatim perstringamus, ut mentem Arbitri medicinae perspicere satagamus, an scilicet cruda materies in primis viis resideat, redun-

detque, an in via sanguinis, et quando in utroque casu hanc oporteat evacuare, multa expedit considerare; et primum notare juvat, saepe signa, et symptomata, a quibus hujusce saburrae in ventriculo congestae illatio fit, non raro ambigua esse. A stimulo in morbi evolutione haec saepe progigni neminem fugit, compertumque est, quum morbus quempiam adoritur vacuo licet ventriculo, siccitatem oris, amarorem, nauseam, vomendi conatus a turbata organorum salivalium actione tunc sobolescere. Quotidie Clinicis hoc phaenomenum notare fas est in ephemera, febribus simplicibus ab imminuto cutis halitu, tum in illis, quas creant imminentes eruptiones, puta morbillorum, variolarum, quarum fomitem natura tendit ad cutem propellere. Harum cura, si diaetam excipias, ac simplices clysteres, et diluentia, solis viribus naturae medicatricibus absolvitur: secus purgantia, vomitum cientia, aut alio modo stimulantia, ipsam turbant, et morbo pertinaciori viam saepenumero sternunt. Porro cum non fugiat solertiores, et exercitatiores Clinicos, quanti sit momenti non ab ingenii solertia, sed ex sedulis inter praxim observatis conclusionem elicere, nostri interest indagini submittere signa, a quibus crudum in primis viis, in sanguine, aut in universis humoribus excedens, quantum licet conjici possit.

III. Multis signis se prodit crudum in primis viis, eo vel magis si exuberans sit; generalia, et evidentiora memorabimus: huc recidunt ingluviei habitudo, fortuiti cum in quantitate, tum in qualitate ciborum errores, lingua sordido muco obducta, perstans ad vomendum propensio, aut molesta nausea, ad scrobiculum cordis ponderis sensus una cum flatubus, cardialgia, et borborygmi, sitis excrucians, anxia respiratio, alvus compressa, gravedo capitis, pulsus debilis, inordinatus, et ad contractionem pronus. Hanc stomachi laesionem comitantur quandoque alvus soluta, foetor oris non absimilis ab ovo incubato, ructus nidorosi, vertigo tenebrosa. Notare juvat non omnia sub hoc titulo recensita pathemata semper necessaria fore, ut de crudo, et quandoque exuberante judicium feramus: dummodo inter haec pleraque, et magis conspicua se se offerant, sat est, ut his freti Pandorae pyxidi, e qua prodit morborum ilias, tuto, et cito occurramus; pro comperto enim manat apud Peritos ex hoc fonte prodire morbos tum acutos, cum chronicos, speciatim febres pessimae indolis ab horum depravatorum humorum ad sanguineam massam accessu. Rebus ita se habentibus praesentaneam opem ferunt cathartica, emetica, aut, quod centies expertus sum, emetico-purgantia, inter quae ipecacuanham tantillae tartari emetici dosi nuptam

omnibus praetuli. At his cum remediis caute mercandum est; hinc illorum mori non possum acquiescere, qui non contenti uno propinato pharmaco emetico actuoso, ad alterum, et tertium imperterriti confugiunt, ignari effectuum, qui fatiscentibus viribus vitio vertuntur, et quidem gravi. Scire itaque expedit non celeri, et progressivo modo crudam colluviem evacuari, sed irritamenta, quae post se trahit, paullatim naturam idoneis, blandis, diluentibus, et subducentibus auxiliis adjutam, si non turbetur, emendare; non enim hostili impetu morbi cura a Medico adgredienda est, sed apud omnes, qui sapiunt, in confesso manat, Medicum esse naturae spectatorem, et ministrum, cujus munus est spontaneos ejus motus dirigere, et, si manca, vel inepta ipsius munia sint, praesentissimis, et paucis subsidiis explere, et perficere. Quorsum sane tendit febris, nisi ut cruda digerat, concoquat, et ad congruas vias sibi visas amandet? Sed antequam a tabula manus retrahamus, oportet, ne asymboli aliquibus videamur, adnotare selectum, ut supra monuimus, remediorum diluentium, etc. pendere ab indole morbosi humoris, a qualitatibus evacuationum, ab impetu febrili, a tempestate, temperamento, anni constitutione, adeo ut modo amara temperata, modo subacida, vel acida a regno mi-

nerali deprompta, atque prudenti manu antiseplicis juxta opportunitatem sociata, fauste adhibeantur; nec pro re nata stimulantia externa obliviscenda sunt, ut organa vitalia, et nervi, quantum fieri potest, a morbosi fomitis insidiis tueantur. Pro coronide addere liceat, a crudo, quod pedetentim praeparatum se prodit in morbi evolutione, multum illud differre, quod ab inutili materie, ex alimentis recenter in ventriculo contentis emergit. Hoc crudum quocumque morbi tempore extrudere conveniens est, docentibus medicinae Antistite, ejusque Commentatore Joh. De-Gorter (Medic. Hippocrat.), ne retentum praesentem morbum exasperet.

IV. Hactenus de crudo in primis viis occurrente; de illo inpraesens dicendum, quod cum sanguine suos volvit vortices. Sparta haec oculatiorum maneat cura; nos, quas coëgimus observationes, contracto stylo communicabimus. Unicuique patet in morbis febrilibus crudum semper existere: quorsum enim tendunt motus spontanei febriles, nisi ut adversa animali oeconomiae digerant, concoquant mala, a bonis separent, perque vias sibi visas illa elidant? Signa propterea crudi, ratione habita genii caussae proximae, ut mox dicemus, facile assequemur unanimi Medicorum voto, et observationibus freti;

at nodosa res est, et magis intricata, si de hujus *turgescentia* sermo sit, quum ultra, citraque evacuationes possint aut juvare, aut nocere. Haec disquisitio, ne adeo facile decipiamur, varia postulat praemittenda: 1.° ut distinguantur morbi, qui ad veram pertinent inflammationem: 2.° ut attenta ratio habeatur illorum, quorum caussa proxima complexa est, lentoris nempe, et alius humoris secundarii particeps: 3.° ut ex his, qui praevalent, decernatur: 4.° ut coeli, et anni constitutionis ingenium non negligatur. Signa porro communia, quae ad primam classem pertinent, haec sunt: pulsus resistens, frequens, suffocatus: debilitas totius corporis: vexans calor: facies suffusa: gravis anhelitus: urina intense rubra: cutis sicca, urens, coriacea: oculi flammei: artuum stupor, et lassitudo spontanea, a quibus, tamquam signo *pathognomonico*, facile deducuntur, nimia sanguinis copia, ejusdemque qualitas ad coagulum prona, eo vel magis si sufflaminatae praecesserint evacuationes naturales, vel artificiales, ac cibus eupeptus. Haec omnia eo praesertim collineant, ut minuatur sanguinis copia, fluidiorque evadat ejusdem indoles; cardo igitur praecipuus est sanguinis missio. Hujus iteratio a constantibus quidem symptomatibus elicienda est; sed viribus prospiciat mox Medicus

curationi, et crisibus tantopere necessariis: diluentia, nitrosa, temperata adhibeat, et confidentius, si praecipua remittant symptomata, pulsus durities, calor, sitis, et mollis cutis fiat. Cunctatio, et simplicitas remediorum anteponendae sunt farragini, qua nil magis perniciosum; sunt enim non pauci, qui praecepta hucusque tradita pedibus trahentes diaphoreticis, validioribus calefacientibus, exstimulantibus naturam opprimunt, nullaque habita stadii morbi, perturbationum criticarum, crisium, ut paucis dicam, salutarium naturae motuum ratione, ne bihorio quidem a purgantibus, moventibus, etc. abstinent. Si levis in diaeta error, aut minus accurata adstantium in remediorum administratione diligentia interturbant vires naturae medicatrices, de tumultuaria hac methodo quid proferri queat, judicium esto penes aequos rerum aestimatores.

V. Usquedum de plethora, ut inquiunt, ad vasa, seu vera, nunc de apparente, vel respectiva. Rite distingui debet plethora vera, *quae*, ut inquit Lieutaud (in synops. univers. prax. med.), *pedetentim incrementum sumit*, *a spuria*, *quasi subitaneae merum variorum laticum rarescentiae effectum sistente.* Plethora vera a difficili motu circulatorio, puta a frigore subitaneo, terrore, veho-

menti febris accessione, verbo ab imminuta vasorum capacitate, et inaequabili, et superaddita sanguinis ex congestionibus varii generis, aut mutilationibus distributione fit, dum spuria plenitudo a mera sanguinei laticis rarescentia pendet. Florido faciei colori parum credendum, quum pulsus dilatatio absque duritie, et remissiora, quam quae descripsimus in vera plethora, symptomata notantur. Quotidianae sunt caussae, quae huic rarefactioni favent, uti sunt ingluvies, haustus liberalior ardentium liquorum, vehemens aestus, ignis, fervens balneum, febres acutae, nimia corporis exercitatio, frictiones etc. Neminem fugit, obesos prae macilentis aegrius ferre sanguinis evacuationes, ex eo quod, compressis a nimia pinguedine vasis, sobolescat potius plethora apparens, quam vera; attenta igitur habenda est discriminis ratio inter veram plethoram, et apparentem. Qui has negligunt animadversiones, et ad perdendum sanguinem unice intenti sunt, sibi caveant, ne, quod usuvenit, in aerumnas conjiciant aegrotantes, quarum intolerantiam ipsi testantur, efficiantque, ut isti initio sanabiles, longo dein morbo confecti illuc migrent, unde nemo rediit unquam. Ex Clinicorum observationibus constat in acutis morbis inflammatoriis, seminia vitiatae sanguinis indolis saepe stimulos excitare, potissimum in naturis irritabilibus, qui

longe distant, ut multi falluntur, a materiae quantitate in primis viis collectae; sed horum pace, in hoc casu quid a nimium iteratis venae sectionibus expectandum, nisi stimulorum a debilitate exasperatio? Anne sedantia, diluentia, demulcentia sunt anteponenda? Si flatus, et faeces intra colon a tubi intestinalis contractione spasmodica sufflaminentur, nonne erunt ceu inopportuna spectanda laxantia, ne tympanica totius imi ventris elevatio hinc pedissequa sit, quae, ut frequentissime a Practicis observatur, altas adeo radices mittit, ut nulla arte divelli possit? Ab his sponte fluit purgantium, emeticorum abusus, quibus motus naturae medicatrices abrumpuntur, et spontaneae, quas eadem saepe movet in principio morbi, evacuationes supprimuntur, puta alvi fluxus, haemorrhagiae, vel in stadio coctionis damni esse, quippe quia postea crises interpellantur. Constat igitur in morbis acutis inflammatoriis eam non existere in primis viis turgescentiam, ut multi autumant, propterea que HIPPOCRATEM jure scriptis reliquisse *plurima non turgere.*

VI. Quod vero spectat ad morbos complexos, uti supra innuimus, audiamus inprimis celeberrimum Practicum Jo. DE-GORTER (in syst. prax.): « Morbi » singulariter 1.° sunt acuti inflammatorii, et febres » continuae: 2.° erysipelatosi: 3.° putridi: 4.° ma-

» ligni, qui omnes certum ordinem non servant. » Curatio generalis in temperando impetu ple- » rumque locanda, aut ex propria curatione spe- » cierum, quae ad acutos veros referuntur, de- » ducenda ». Ab his colligitur non perfunctorie inhaerendum esse signis, a quibus diagnoses morborum eruuntur; sed rite omnia absque insita jam ante menti opinione esse perpendenda. Quandoquidem fateamur oportet in quibusdam morbis acutis excludi nullo modo posse emetica, purgantia, una observamus, omnibus quidem innotescere modos, quibus occurritur diversae primarum viarum saburrae; sed non omnes omnia considerare, ut congrua curandi ratio assequatur. Tempestas inprimis suam sibi vindicat attentionem, ne decipiamur; saepe enim aestivo tempore corruptum acre biliosum in ventriculo, aut vicinis partibus nidulans, perpetuam nauseam creat, quod a libero aëris accessu, et ab aucto per febrem calore majorem quotidie acquirit malitiam: dubitare minime licet his in circumstantiis urgentiori esse occurrendum, et sordes ventriculi emeto-catarticorum usu quantocius eliminandas esse. *Omnium autem frequentissime haec methodus prodest*, inquit cl. Gerardus Van-Swieten (in comment. de nausea febrili), *in febribus acutis autumnalibus, quae post fervidissimas aestates, exas-*

sata, et incensa aëris caloribus bile, epidemice grassari solent, quae fere omnes continuae remittentes sunt, et ex intermittentium geminatis paroxysmis constant, et, fracto harum febrium impetu, in intermittentium classem se recipere solent. In acutis vero inflammatoriis, quales sunt plerumque illae febres continuae, quae vere jam adulto, vel aestate incipiente grassari solent, falleret haec methodus frequenter, quia nausea has febres comitans saepius ab inflammatione ventriculi, vel vicinarum partium originem ducit, unde tunc a vomitoriis inprimis omnia in pejus ruunt. In tali casu se errasse fatetur immortalis HIPPOCRATES Anglus, quum, praemissa venae sectione, ac vomitorio propinato, pigram illico alvum, morbumque in pejus ruere notavit (rarum candoris exemplum!).

VII. Saepenumero nostris in regionibus imperium exercet febris, quam multi, a meris commentis ducti, suspicantur a putredine in humoribus existente originem habere, et improprio nomine *putridam* appellant. Vana sunt argumenta, quae deducuntur ab excretionibus, puta alvi, urinae, sudoris, etc. graveolentibus, aut ab educto per phlebotomiam sanguine, qui brevi putrescere videtur; similis namque odor in aliis febribus notatur ab hac longissime distantibus, sicut

in quibusdam vegetabilibus, naturalem, et integrum contextum servantibus. Neque a gangraena, quae saepius concomitatur has febres, putredinis existentiam in humoribus deducere licet, quum vigente frigore, quo nihil contra ipsam efficacius, ab ea ipsa animalia aeque corripiantur. Quonam modo intelligi potest, febrem hanc vegetos, et robustiores invadere, ab hac istos perfecte convalescere, si putredo in humoribus, quae nec natura, nec arte emendari potest, admitteretur? Laesiones, quae inter viscera cadaverum hoc morbo peremptorum inveniuntur, inter luctamina mortis efformantur, cujusmodi sunt vasa atra, et faeculento sanguine turgida, infarctus phlogoidei, putredo omnium cavorum viscera deturpans, intolerabilis uno verbo foetor ubique gangraenosus. Qua de re illorum opinioni adhaerebimus affirmantium, caussam proximam hujusce febris in sanguinis, et humorum ad putredinem proclivitate esse refundendam. Rigor, et horror primordia sunt hujusce febris, tum nausea, vomitus, interni dolores, plerumque somnolentia, turbidi animi motus, dein aestus inconstans, cutis sicca, pulsus plus minusve durus, et inaequalis cum obscuris tendinum subsultubus. Progredientem febrem alia comitantur symptomata luctuosiora: lumbos, artusque vexant dolores, neque pectori, et hypo-

chondrio dextro parcunt, respiratio difficilis est, os, lingua paullatim muco obducuntur, dein scabritiem, et nigredinem adquirunt, hisque quandoque adjungitur angina notha, ac tumet abdomen. Haec signorum, et symptomatum congeries satis in propatulo ponunt genium sanguinis, et humorum nempe phlogoideum, et septicum. Inter inquilinos corporis humores ad putredinem magis pronos bilis est, quae e sua indole deflectens, ac saevissima facta, rancida, corrupta, in primis viis collecta, vel ad sanguineum laticem transgressa, facilius est animo concipere, quam verbis exprimere, quanta celeritate omnia fluida, solida, nervorum systemate ne quidem excepto, pervertat; quodsi crescat eundo ipsius malitia, succedunt febres, quae *malignae* dicuntur. Ab enarrata signorum, et symptomatum syndrome facile est eruere hujusce febris diagnosim, non ita prognosim; ejus therapaeja prompta, circumspecta institui debet, habita caussarum inter se pugnantium ratione. Igitur atra quum inter signa sint illa, quae phlogosim simplicem, aut erysipelaceam probant, annuentibus Clinicis, his cito occurrendum, ne pedissequae fiant subitae, et mali ominis in ventriculo, vicinisque partibus degenerationes, atque inflammationes; propterea initio morbi commendant saepenumero unam, aut alteram sanguinis missio-

nem, eo vel magis quod haec febris utplurimum adoriatur opipare viventes, sanguineo-bilioso praeditos temperamento, vino, spirituosis indulgentes. At in his, conveniunt omnes, suspenso incedendum esse pede, juxta effatum *sanguinem esse bilis frenum*, ut ita serventur naturae vires, quae facillime prosternuntur, et impares evadunt coctioni, et crisibus peragendis; dein ad emeticum devenire convenit, ut ex primis viis materies biliosa statim eliminetur. Haec febris sua, ut ceterae, coctionis, et crisium stadia percurrit; hinc ne fatiscant aegri vires, et salutares naturae motus turbentur, practica de doctrina crisium consilia huic febri accommodanda sunt. Crises melioris ominis sunt, circa 14.am diem urina turbida, quae sibi relicta materiem foeculentam elabi sinit, aut sudor, dummodo praecox non sit, et tenuis, a quo nil boni sperandum est. Quamobrem eo dirigi debet curandi methodus, ut irritamenta, quae latex pessimus biliosus sanguinem circumeuns ubique suscitat, non augeantur, et, quod pejus, per cutis spiracula exitum moliens, intus retrocedat. 1.° Igitur viribus prospiciendum est, prudentissimo evacuantium usu, ne nimium depressae non possint suo munere fungi: 2.° prompta sit medicaminum exhibitio, quae temperant, *putrescentiam* corrigunt, et acre

diluunt, nempe subacida, nitrosa, acida mineralia, cautius agendo cum antisepticis, alexiteriis, quae ab aliquibus supra modum extolluntur, potissimum quum sanguis plus aequo excandescit: 3.° quum in hac febre non raro per totum morbi tractum fusior alvus serosus sit ominosus, a genuinis catharticis, organa nimium stimulantibus cavendum est; his, si alvus adstricta fuerit, supplebunt enemata laxantia: 4.° circumspectus sit Medicus in usu narcoticorum; dum enim morbum velamine quodam obtegere satagit, viam aperit *stasibus* morbosae materiei, quae a debilitate facile oboriuntur, et caput, pectoris, imique ventris cavum minantur, si excipias camphoram, quae vi sedante pollet, et a putredine vindicat humores. Suam merentur laudem fotus, pediluvia; sed majorem cucurbitulae, sinapismi plantis pedum, vesicantia cervici, brachiis, femoribusque admota. Antequam hisce coronidem imponamus (crambi recoctae parcat lector), notare fas sit infortunia, quae ab usu calefacientium, stimulantium, et calidorum *antisepticorum* suscitantur. Neminem expertum fugit, caussam febris putridae mobillimam esse, alkalescentem, nervis infensissimam; porro si pessimus hic fomes remediis hujusce farinae acuitur, et, coacto sudore, nimis propere ad cutem urgetur,

symptomaticae, sive factitiae apparebunt efflorescentiae erysipelaceae, pustulosae, miliares, quas imperiti sibi plaudentes, ac si omne tulerint punctum, criticas decernunt, inque vado rem constitutam esse pronunciant: interea, nulla praecedente caussa occasionali, res in pejus inopinanter ruunt, ac delirium, convulsiones fatum accelerant. Ad miliarem febrem puerperis familiarem quod spectat, notare expedit, non adeo frequentem, si de legitima loquimur, ac vulgo creditur, observari, potius esse, ut verbo utar cl. DE-HAEN, factitiam, aut symptomaticam. Hac in rerum conditione, quis ex voto successurum fore putabit morbi exitum, quum purpura primis diebus morbi, aut in statu erumpit ad cutim sedem incertissimam? Arrepta occasione, mihi liceat hanc absolvere commentationem sequenti quaestione. Anne miliaris humor in prosapia illorum morborum collocari potest, qui ab effraena bile caeteros humores inficiente fiunt, et, nisi coctio, ac defaecatio congruo tempore succedant, lethales fiunt? Annon huic conjecturae ansam praebere videntur: 1.° temperamenta biliosa, fervida huic eruptioni prae caeteris obnoxia: 2.° sudor acidum spirans: 3.° puerperae, in quibus pressio gestationis tempore in dies crescens omnia abdominis viscera ita comprimit, ut etiam

consuetum bilis effluxum quodammodo moretur: Ob id cardialgia, nausea, conatus vomendi, color subictericus, frequens nervorum commotio, alvi stipticitas has vexunt; et notare juvat illas, quae enormes post partum haemorrhagias passae sunt, facilius et gravius hoc morbo conflictari: tandem faetidissimae alvi evacuationes porraceae, bile intermixtae? Experientia, et observationes, quas in nosocomio D. Joannis Baptistae, per trium, et ultra lustrorum curriculo, et non interrupta per urbem praxis cum in omnibus hoc morbo laborantibus, tum in puerperis habita, quibus sexcentis quotannis praesto fui, hanc quaestionem mihi suasere. Hisce autem fretus animadversionibus, parum sollicitus hujus efflorescentiae, omnem impendi curam in corrigentium, temperantium usu, haud neglectis, si opus erat, laxantibus, externisque congruo tempore admotis remediis chirurgicis, et, si de puerperis agebatur, emenagogis pro re nata, et aperientibus; hujusque methodi me nunquam poenituisse affirmo. Haec proposui, ratus me alios excitare, qui absconditos medicine practicae recessus oculatiores lustrantes, miserae mortalium conditioni opitulari nituntur, ut ipsi tandem tutiori auxilio esse possint.

PRAECEPTUM V.

Quod primum est in inventione, ultimum esse debet in curatione.

§. I.

Totum mysterium hujus aphorismi, ut verbis utar cl. Jo. De-Gorter (in med. Hippocr.) *in cognitione rei, quam rationem vocat* Hippocrates, *consitum est : quae enim ex ratione fiunt, sunt constantia, et permanentia.* Haec cognitio per signa comparatur, quae a Pathologis *morbi conjuncta*, vel *symptomata* nominantur. Quum signum sit, quod primum in medentium oculos incurrens morbi genium detegit, rectam medicus instituet curam, qui causam corrigere sataget; hac enim sublata, juxta tristissimum philosophorum effatum, evanescunt effectus, sive symptomata. At quandoque evenit, ut effectus evadant caussa periculosiores, promptiusque postulent auxilium; hinc enata practicorum divisio in curam *legitimam*, seu *ordinariam*, et *extraordinariam* Ab hac divisione colligere juvat non ita frequentem se se offerre occasionem extraordinariae medendi curae, cui non pauci inconsiderate adhaerent, et curam *symptomaticam* instituunt, qua nihil

aegrotantibus, ac curantis nomini perniciosius. Hic medendi modus plurium infortuniorum fons est, et origo, inter quae praecipua sunt farrago remediorum, inconsulta horum inter se pugnantium administratio, salutarium naturae motuum eversio, etc. Sed in orbitam redeamus. Praeter hanc divisionem aliam tradunt Pathologi in signa pathognomonica, et synadreventa, seu assistentia : haec incerta sunt, et *plerumque*, ut inquit Cattelli (lexicon pars. 1.), *in morbo accidunt*, quum signum *pathognomicum* a morbo sit inseparabile, ceu ex symptomatum morbo propriorum collectione illatum (laudatus Castelli lib. cit. pars 2), quod sane in medentium mente altissime repositum esse debet. Ab his quisque intelligit, nullam symptomatum morbo perpetuo adhaerentium instituendam esse curam ; sed ad caussae, a qua oriuntur, emendationem consilia dirigenda fore. Exempla rem illustrabunt: pleuritidem comitantur febris acuta, pungens lateris dolor, pulsus durus, vehemens, lividus faciei color, anxietas, tussis sicca, et molestissima : haec, quae signum constituunt characteristicum inflammationis pleurae, prima sunt in inventione ; at non evanescent, ni quantitas sanguinis, ejusque diathesis densa, rheumatico-inflammatoria imminuatur, emendetur: propterea omne tulisse punctum curationis ille dicendus

erit, qui solvendae, et imminuendae caussae idonea, et prompta remedia aptabit. Notare juvat, dolorem lateris quandoque et vehementia, et duratione ita saevire, ut quod ab initio ceu simplex conjunctum visum est, morbus fiat secundarius, cui, ut urgentiori, ni sucurratur methodo extraordinaria, aegri vita in periculo versabitur. Haemorrhoidum suppressio gignere solet vertiginem, gravem spasmodicam respirationem, affectum hyppochondriacum, corporis lassitudinem, etc.: operam, oleumque perdet, qui caephalicis, bechicis, antispasmodicis, roborantibus curam aggredietur, neglectis iis, quae revocando haemorrhoidum fluxui idonea sunt. Summota caussa, cessant effectus; at nemo nescit, morbum, hujus caussam, et symptoma mutuum inter se nexum ita fovere, ut nec morbus absque caussa, neque hic sine symptomate esse possint. Primum in inventione sunt memorati effectus, morbus est suppressio evacuationis; quaerenda igitur est caussa morbi. Inter multiplices, ut a proposito exemplo non recedamus, frequens est hepatis infarctus, qui liberum per vasa imi ventris circuitum intercipiens, caussa est suppressae evacuationis; ergo neque morbi, neque symptomatum obtinebitur intermissio, nisi aperientibus, et hepati dicatis remediis hujusce visceris obex superetur: secus

secundarii morbi emergent curatu difficiliores, nempe cachexiae; hydrops multiplex, etc. Ea namque est humorum, firmarumque partium conditio, ut, si a naturali statu recedant, multis, et gravibus morbis viam sternant, aegro, et medico crucem figentibus. Qui autumnali tempore tertiana febre laborat refractaria, a repetitis paroxysmis ita debilitatur, ut ab enata humorum tenuitate, et solidorum laxitate hydropicus evadat. Secundarius hic morbus quamvis praecedentis effectus, omnem tamen sibi vindicat medici curam, a tertiana prorsus dissimilis.

II. Observationibus itaque suffulti medici, quae passim comprobarunt interdum saevire adeo symptomata, ut prae morbo vitae aegrotantium insidias agant, unanimi consensu decrevere ab ordinaria, seu vera medendi ratione recedendum esse, et extraordinaria urgentiori succurrendum. Qua in re nullum dubium est, quin functionibus vitalibus (quod primum semper est) medicus prospiciat, et rite metiatur laesionis gradus, necnon virium, quas, licet depressas, quandoque urget necessitas magis dejiciendi. Prudens ne erit, et rationalis clinicus, qui sistendae haemorrhagiae in aegro pene aegritudine confecto supervenienti, si caetera auxilia non prosunt, religioni habebit paucas sanguinis uncias? Vel ab hoc remedio manum retrahet

in pectoris hydrope aegrum proxime suffocaturo? Discant igitur omnes ab immortali medicinae Antistite quanti facienda sit methodus extraordinaria. Scire insuper juvat a morbi symptomate multum distare conjunctum, quod secundarius morbus priori deterior succedit. Haec, ni fallor, adeo patent, ut nullum relinquant dubitationi locum. At eveniunt turbae, quae vel primi morbi, qui devictus censetur, reliquiae sunt, vel, illo penitus exantlato, praeter spem principium aliud morbosum natura evolvit, novaque suscitat phaenomena, puta motus spasmodicos, alvi profluvia, vomitus, sudores, etc. Haec vel imperfectae primi morbi coctionis effectus sunt, vel ab alio morboso fomite gignuntur. In his rerum adjunctis virium conditio normae erit medico, utrum sint salutaria naturae molimina, quae a Practicis vocantur *actuosa, auxiliaria*, quaeque sanationes non raro pedissequas habent, arte inimitabiles: an prudentibus praesidiis imminuenda sint, vel cohibenda. Experientia duce non ignoramus, morbos saepissime sibi succedere, qui nullum inter se nexum habent: novum non est febri acutae, rheumaticae, putrescenti febrim quartanam, tertianam supervenire, quin immo periodicas febres protinus cessare ab apparitione febris acutae, hac evanida, illas redire. Qui haec attenta

mente revolvet, concludet, ni mea me fallit opinio: 1.° *symptoma*, si ultra modum perduret, morbi potius titulum promereri: 2.° *vera* esse illa symptomata, quae observanti sponte patent, quibusque fretus medicus non tanta eget artificiosa conjectura, ut morbi genium assequatur. Negari sane non potest, in ambagibus saepe versari clinicum quum ad extraordinariam methodum confugere debet: quod enim symptomati prodest, nocet morbo; quum vero medici officium sit, ut inquit Gaubius, *aegrum sanare*, ratio, prudentia, et artis leges praesto esse debent. Sit febris tertiana perniciosa, ipsi, quae propinato cortice peruviano prospere cessit, epigenesis accedat, ex. gr, colica cum oris amaritie, alvo occlusa, pulsu debili, contracto, anxia respiratione, prima indicatio est alvi movendae, ne diutius retenti pravi humores graviorum, forsan lethalium aerumnarum caussa sint; sed omnibus notus est facilis a propinato purgante etiam mediocri febris reditus. His in casibus ars medendi rationalis docet, ut remediis alvum aperientibus colicae, ceu urgentiori malo primum succurratur: dein, quum circumstantiae permiserint, aequa utrique malo componatur medela cum probabili aegrotantis utilitate.

PRAECEPTUM VI.

Quum secundum rationem facienti, si secundum rationem non eveniant, non transeundum ad aliud, manente eo, quod visum ab initio est.

§. I.

Auream legem divini Senis, qui exactissimum in morborum observatione spectatorem se gessit, explanandam suscipimus. Summus hic vir curiosa naturae meditatione primam dedit originem arti nostrae, et ex observatis ad congrua, et consequentia principia casto ratiocinio redegit, effecitque, ut a miris, et multis additamentis, e fontibus physiologicis, pathologicis, anatomicis nostris temporibus illustrata ars nostra scientia sit prudens, ratione, et experientia firmata, cujus ope duplex, quod nobis impositum est, munere vitae fungamur, primo scilicet, quod vitae, ser vandaeque valetudini prospicit, morborum curae altero. Hinc bonae frugis erit doctrina medica, si hanc Antistitis praeceptis accommodabimus; ut ergo in absconditas morborum caussas pro viribus introspicere quisque valeat, hisque medeatur, omnia, et singula rite perpendat, quae sensubus patent, quaeque ab aegro, amicis, adstantibus referuntur. Neque

his contentus, aetatis, sexus, temperamenti, idyosincrasiae, vitae generis, morborum praegressorum, aut insitorum rationem posthabeat, hisque una collatis, ad auxilia accedat, quae indicata videbuntur, et si secundum rationem non succedunt, ad alia confestim non transibit, manentibus iis, quae visa a principio sunt. Caussas internas, externasque severo insuper examini subjicere oportet, inter quas numero pene infinitas versatur homo, quibus singulis sua agendi potestas est, *proque varia virtute, concursione*, ut inquit Gavbius, *successione corpus aliter, atque aliter afficiunt, internas naturae vires diversimode determinant, incitant, opprimunt, in rectum, perversumque agunt, suasque vicissim mutationes ab his patiuntur.* Hoc pacto ratione, et consilio adjutus medicus spectator erit, a juvantibus, et laedentibus sumet indicationes, ne, si prodesse nequit, saltem non noceat; et, ne temeritate, aut ignorantia, vel inconstantia insimuletur, memor sit dogmatum, de quibus in posterum, scilicet *contraria contrariis curari : tuto, cito, et jucunde curandum esse : similia similibus conservari.* Si traditis nemo sanus fidem denegare nequit, quid de variis informibus medendi modis dicendum sit, penes aequos rerum aestimatores judicium esto. Sunt enim non pauci, qui

vagis innixi experimentis medelam cujuslibet morbi aggrediuntur, quumque huic, vel alteri morbo vincendo fortuitum remedium intra tenebras didicerint, idem praesenti malo coeco judicio libere admovent. Omnibus sane patet hos esse empiricos, agyrtas, circulatores, qui pecorum ritu aliorum vestigia calcantes suis arcanis hominum vitae insidiantur: exsecrandum viventium genus! Non desunt alii, qui praeconceptae opinioni, tamquam idolo, sacros, ut ita dicam, conceptus suos continuo faciunt, sibique arrogant, posthabita signorum varium morbi genium significantium ratione, medendi normam, quae non naturae motubus, sed suis nutibus praesto sit. Mehercle qui ita cogitant, ne per somnum quidem nosse rationalem curandi methodum, impune fateri licet. Tertia classis est illorum, qui novitatis cupidi, *stricto*, *laxo*, et *medio* Methodicorum, nova *stheniae*, et *astheniae* vocabula surrogantes, vel et recentiores alii ad *stimulum*, et *contrastimulum* confugentes, inauditam medendi viam aperire existimarunt. Jamdudum clamitant saniores Practici, medicinam luxurianti physico-medicorum ingenio depravari, quum hypothesibus innixa sit vanissimo scholarum strepitu celebratis. Utinam redivivus esset Galenus, cui hippocraticam medendi artem innumeris sectis divulsam ad lydium veritatis la-

pidem instaurare datum fuit! Tanto duce magistro, fautores provoco, et rogo, ut decernant, an praeceptum hippocraticum *contraria contrariis curari* a scopo debilitandi, aut corroborandi, pro quo acerrime pugnant, differat? Hos non taedeat praeterea animadvertere in alia innumera praecepta, quae posteritati reliquit de prudentia, cautione, quibus naturae viribus, ac vitae consulatur. Sed quum omnia, quae sub cujuscumque morbi titulo recenseri possunt, in singulis subjectis minime se prodant, haecque, vel illa serius ocyus visenda se praebeant; hinc assequimur cur ex accurata cujusvis affectus observatione arduum, ac difficile emergat opus, ut inquit Lieutaud, definire quonam pacto salutaribus, ac necessariis opitulabimur naturae motubus remediis drasticis, et quidem nimiis, necnon stimulantibus immodicis, stupefacientibus, emetocatharticis, si de viribus deprimendis quaestio erit, aut spirituosis substantiis, acribus per excessum propinatis, virium erigendarum caussa? Si consideres morbos vel acutos, vel chronicos, qui generatim a triplici caussa originem ducunt, hanc medendi artem perniciosissimam habebis, quum sive spissitudo humorum, sive tenuitas, et acredo caussa sit morbi proxima, deterius nihil cogitari queat novitate *solidistarum*, cui ratio, experientia, observationes, et unanimis exerci-

tatiorum consensus e diametro adversantur. Neminem autem sanum fugit discrimen, quod intercedit maximun, inter medicinam hippocraticam, et hanc novissimam; illa quippe tota prudentia est, naturae obsequens, haec hostilis, inobsequens, animalem oeconomiam obruens, destruens.

II. Sed redeamus unde discessimus. Quum saepe morborum curationes votis medici non respondere, jam aevo suo expertus sit HIPPOCRATES, praecepit, ut, si notio desit optimi remedii, illud seligatur quod saepius, et melius visum est. Sed quanam ratione utilius deteget medicus empiricus, systematibus, aut acutis hypothesibus, et conjecturis deceptus? Sedula, et nunquam satis laudanda attentio caussae morbi proximae, proegumenarum, occasionalium, symptomatum, naturae motuum necessaria est; ab hac, si non certas, saltem probabiliores medicus notiones elicit, quae ipsum ad remedia determinant non nocitura, neque ab his recedet, donec, quod ab initio visum est, faciem non mutaverit. Febris ex. gr. vere periodica non alteri obediens est certo remedio, quam chinae chinae, neque ab hoc recedere fas est, manentibus, qui a principio visi sunt, paroxysmis; sed non raro evenit, ut hi magis in die saeviant sub usu etiam largo remedii. In pertinaci igitur febri caus-

sam sedulo animadvertat medicus, et si constiterint nova symptomata, aut evidentia cacochyliae indicia, quae morbum haeterogeneo humore implexum significant, a specifico abstineat, tamquam noxio, et inefficaci, atque ad alia mentem convertat, magis recondita, et incerta quidem, sed probabiliora. Divini senis mens in diversum interpretanda non est: quum optimum seligendum esse praesidium docet, pro indubitato non pugnat, persuasum habens sub multiplici caussarum, ut mox innuimus, concursione nil certitudinem admittere cum in rebus physicis, tum in aliis scientiis, si data mathematica excipias, sed pro illo pugnat, quod auctoritas, repetita, et constans observatio tutius, et specificum comprobarunt. In allato exemplo, juxta praeceptum juvantium, et laedentium, duce experientia, specifico subrogabimus amara, aut illa, quae non ab animi impetu, sed a debito symptomatum examine conjicere fas erit; quae namque secundum rationem fiunt, culpanda non sunt, his aut irritis, aut nocentibus supersedendum est, et si quidpiam contrarium medico suboleat, cum ratione ad alia, quae indicata videntur, transeundum: puta in febre ab initio legitima intermittente, in progressu saepe se produnt cacochyliae signa, quae, instituta praegressorum consideratione, in suspicionem medicum inducunt de *lentore rheu-*

matico, qui vim infringit specifici. His in intermisso hujus usu, utiliora erunt in primis illa, quae sordes in primis viis nidulantes, praeeunte, juxta praeceptum de quo superius, naturae propensione, per vomitum, aut alvum expellunt; hinc amara *saponaceis* sociata, vel ea in usum vocanda sunt, quae solvendi vi pollent, revocandaeque perspirationi, aut blando sudori dicata sunt. Idem dicas de morbis acutis inflammatoriis, praecipue pectoris, quibus vincendis nil promptius, et tutius est sanguinis missione. Evenit non raro, ineunte inflammatione, manifesta, et subita bilis evolutio, quae princeps interpellat remedium, et ad illa confugere oportet, quae bilem compescere, corrigere, perque vias convenientes evacuare queunt. His antehabitis, si perstabit febris more primo, habita rerum collectione, ad corticem iterum ceu inter auxiliaria remedium praecipuum, et melius confugere oportebit. An culpa vacuum dicemus clinicum, qui ob defectum remedii optimi spernit ea, quae frequentius, et melius morbo conferre visa sunt? Itaque quum certissimorum remediorum cognitio supra vires medici sit, quorum ope quaelibet aegritudo superetur, boni curantis est perpendere, an specifico locus fiat, an illis praesidiis, quae unanimis prudentum virorum praxis utilia ce-

lebrat, et longus usus confirmat. Ab his constat, quantum in medicina facienda prudentiae, et observatis tribuendum sit, quantaque intersit in remediorum delectu, et admotione sagacitas, necnon morbi caussas, harum complexionem, symptomata, tum quae corpori inhaerent, aut morbum praecesserunt, omnia ad justam rationis, observationis, experientiaeque trutinam revocare: *nullus enim*, inquit Celsus, *morbus incedere potest, cui alterum proximum non sit; remedia igitur tentabit medicus similia illis, quae vicino malo saepe succurrunt, et per ejus similitudinem opem reperiet.*

III. Verumtamen licet haec ita se habere videantur, aeque tamen verum est, notari saepe casus, in quibus quod melius, et crebrius utile prolatum est, non constat. Re ita se habente, sagax antecedentium, et inhaerentium ratio habenda est, et innumeris, quae supervenire possunt a sanitate deflexionibus simplici, ac generali medendi methodo occurrendum est, neque in deliberatione festinandum, donec a ratione, et verisimilitudine petita argumenta, nec non exactissima observatio, quid magis prodesse possit, aperiant. Mira enim est morborum varietas, ratione temperamenti, aetatis, locorum, tempestatis, sexus, proprium sibi vindicant medendi modum, cui nedum assequendo, sed

referendo universa medentium schola impar est. Ergo nihil tentandum erit, objiciet aliquis, morbusque solis naturae viribus committendus? Hic, quaeso, aures praebeat monitis hippocraticis, quae obscura, et dubia illustrare, enodare queunt. 1.° Quum natura sit morborum medicatrix, ejus vires conservandae sunt. 2.° Quum nullum vel simplex remedium praescribi a Medico possit, quod non aliquam oeconomiae animali mutationem afferat, ab hujus exitu conjiciet, an natura remedio obsistat, aut ad finem, quem sibi proposuit Clinicus, tendat; ita an perstandum sit in eodem auxilio, an ad aliud transeundum animus non pendebit. 3.° Si immutationi locus est, C. Celsi monitum lex sit, inquientis: *quum quidam mutare quid volet, paullatim debebit assuescere, intra haec prudens medicina est.* Ab his salutaribus verbis edoceantur illi, qui a remediis *decretoriis* nullomodo pavent; horum enim inopportunus usus parit saepissime tristes immedicabiles effectus. In horum censu sunt purgantia, speciatim drastica, cortex peruvianus, ipecacuanha, stibium emeticum, sanguinis missio, mercurius etc. Arrepta occasione, monere liceat temeritatis, et inscitiae insimulandos esse illos, qui a novi remedii strepitu permoti, hoc statim in deliciis habent, et sesquipedalibus verbis inflatis, non

re medicinam profitentes, praecipites ubique illud extollunt, *temere*, ut inquit Gaubius, *spernentes Practicorum observationes accurate concinnatas*, et cl. Vanswieten monitum: *satius est obscuris parum, aut nihil proficere, quam in temeraria via aegri vitam in discrimen adducere.* Qui sapiunt, naturam, non Medicum culpabunt.

IV. Unum adhuc superest, de quo pauca. Evenit morborum complectio, in qua multa opus est prudentia, et dexteritate; non raro scilicet morbus curabilis chronico, vel haereditario inseritur, quorum alterutri non nocere opus, et labor est. Hoc dum occurrit, sunt, qui opinantur, nullam habendam esse rationem morbi incurabilis, omnemque curam dirigendam esse ad ablationem morbi adventitii; at quum nemo ea mentis acie praeditus sit, qua naturae vires hunc non superaturas praevidere possit, in hac rerum ambage ita se gerat artifex, ut quae *radicativa* huic aptari potest medela, saltem *palliativa* sit haereditario, et insanabili. Sit pro exemplo febris acuta pectoris tussi chronicae superveniens: mehercle morbus acutus missionem sanguinis desiderat; sed quum vetus congestio a virium depressione altiores possit radices agere, accurato examini subjicere oportet id, quod magis urget, et illa in usum vocare remedia, quae, prout ars sinit,

utrique malo auxiliari possunt. Caute in hoc casu mercandum cum sanguinis missionibus, et rubefacientibus sparsim repetitis, temperantibus, diluentibus, et blandis diaphoreticis supplebitur, ne a virium concidentia utrumque malum in deterius ruat. Neque aliter sentiendum de febre intermittente in superioribus memorata, cui, si legitima acuto morbo adjungatur, succedanea chinae-chinae remedia, ea tamen dosi, et praeparatione, quas aegri tolerantia, et febris utriusque conditio ferunt, donec acutus morbus deferbuerit, facere possunt satis; non enim, quin perniciem minetur, praeter rationem ad specificum confugiet Medicus, quum, juxta praeceptum artis, urgentiori sit succurrendum. Idem affirmandum est de morbis, quorum symptomata quidpiam latens enunciant, uti sunt epidemici, aut alii ita obscuri, ut ad quod morbi genus referri possint, se nescire fateatur ingenuus Medicus. Nihil enim movendum ut, si desint indicationes, manente eo quod a principio visum est: *praestat enim medicum*, inquit Platnerus, *si nondum veram morbi notitiam habet, vel de eo adhuc dubitat, quiescere, vel quaedam, quae minoris efficaciae sunt, dare, et interea omnia diligentius observare*, *quum optimum*, inquit Hippocrates, *quod sequaris, latet, quod melius, saepiusque medentium votis respondere deprehensum est, seligatur.*

PRAECEPTUM VII.

Tuto, cito, et jucunde curandum est.

§. I.

Ægris, et Medicis cordi esse hanc legem hippocraticam nemo dubitat unus, dubitari solummodo potest num vera ejus mens omnibus innotescat; nostri itaque refert pro viribus hanc explanare. Ut tuta sit morbi curatio, diligens caussae notio requiritur, quae ad inventionem remedii vincendo morbo idonei Medicum dirigat. Quoties tutum curandi modum jubet Hippocrates, nemo, qui recte cogitet, putabit ex parte solum remedii, quod efficax sit, quaerendam esse securitatem; opportunitas quippe admovendi remedii tutiori indicationi magis confert, quam ejusdem efficacia: ac pharmacum mediocri vi pollens antecellit vehementi, et actuoso. Id adeo veritati, et experientiae consonum est, ut saniores, prudentioresque a drasticis fortioribus, ab emeticis indomitis, irritantibus, a sudoriferis generatim abhorreant, et simplicibus, convenienti vi praeditis, ac idoneo tempore propinatis, ad tutum, prosperumque exitum morbos gravissimos perducant. Opportunitati, in qua securitatis pars repo-

nenda est, favet exacta morbi, antecedentium, inhaerentiumque notio, quam ille tutius obtinebit, cui ex anatomicis, et physiologicis principiis nota erunt fabrica humani corporis, viscerum sedes, functionum a naturali statu recessus, quae omnia, ubi ab artis praeceptis, de quibus jam verba fecimus in superioribus, firmata sint, tuta, quam contendit Hippocrates, idest cum ratione, cura iniri poterit. Ut vero remedii inventio, proinde morbi curatio tutae sint, pharmaci qualitas, quantitas, et apta occasio *omnibus*, ut oratorum principis verbis utar, *ponderibus examinanda sunt*. De remedii natura, seu agentibus ejus principiis nos edocere debet analogia, quam *dogmaticam* vocat Sanctorius (meth. vitand. error. in medic.): experimenta nos certiores facere possunt; solo enim rationis ductu datum non est hominibus principia corporum scrutari. Analogiae adjumento, et repetitis experimentis remedii ad corporis habitudinem, quae *idiosyncrasia* est, relatio detegi potest, detegiturque cur remedia, quae dicuntur *narcotica*, aliis somnum conciliant, alios reddunt pervigiles: cur pulpa cassiae, rheum facilem in quibusdam reserant alvum, in aliis hanc obstipant, et dolorum, lipothymiae, spasmodicorum motuum caussa sunt. Quibusdam puerperis praesentanea esse cardiaca, quae penetrante,

volatili, fragrante principio scatent; at innumeris aliis, si haec exhibentur, gravissimas noxas consequi, quem latet? Ab his sponte fluit quanti facienda sit *idiosyncrasia*, quantique momenti prudens sit experimentum pro tuta remediorum exhibitione. Qui ad hanc normam mentem componet, a stulta empyricorum cohorte se vindicabit, et ab illis, qui nullam remediorum ad internam corporis dispositionem habitudinem admittunt, aut specioso experimentorum labore illustrare satagunt virtutes medicamentorum, nullique dubitant, obliti verae corporis humani constitutionis, remedii effectum insitae energiae fore adscribendum. Quid, si a colore, sapore, materiei temperie, aliisque similibus nugis praxi solidae inutilibus efficaciam remediorum deducere audent? *Mehercle*, ut loquar cum cl. Lieutaud, *elapso seculo, et nostra aetate tot prodiere scripta medica, et tam varia compendia, ut magis doctrinae specimen, quam rectam medendi notitiam exhibeant, quae ideo, pace illustrium auctorum, animum veri, et conducibilis avidum minime explent.* In hoc praxeos medicae infortunio numquam satis laudabimus eximios in aeternum colendos Italos viros castae, et simplicis medicinae restauratores Franciscum Redi, Cyrillum, Beccari, Josephum del Papa, Lan-

cisium, Torti, Ramazzini, Knips Macoppe, quibus alterius ditionis adstipulari potest Nicolaus Tulpius, quorum vestigiis presso pede inhaererunt huiusce lycaei, et universae nostrae ditionis decus, et ornamentum Rajna, Fantoni, Badia, Somis, cujus ceu institutoris mei memoria penes me erit sempiterna, et si quidpiam in scientia nostra profui, totum hujus praeceptis, ac monitis aureis, quae mihi perhumaniter tradidit, ingenue debeo. Eruditissimi hi Viri, procul seposita remediorum farragine, horumque saepe illusoria praeparatione, et novitate, prudentem, germanamque medendi methodum amplexi sunt, et scriptam posteritati reliquerunt. Quamobrem, ut paucis contrahamus omnia, tutae medicinae faciendae conducunt: 1.° accurata caussarum morbi cognitio; 2.° adaequata corporis aegrotantium constitutionis, et idiosyncrasiae notio; 3.° remediorum selectus, quem constantem repetita experimenta, ducibus ratione, et analogia, confirmarunt; 4.° quod praecipuum est, exacta salutaribus naturae motubus, artisque praeceptis obtemperatio.

II. Ad hunc quod attinet remedii selectum, quaestio viget inter Practicos, an de mente C. Celsi *melius sit anceps experiri remedium, quam nullum.* Porro ut nihil auctoritati tanti Viri detrahamus, quin imo hunc

a multis, qui in pravum sensum auctoris mentem detorquent, vindicare conemur, primum, quae sparsim pronunciavit, in unum colligemus, e quibus legitimam conclusionem eliciamus. *A certis potius, et exploratis petendum est remedium, idest quae experientia in ipsis curationibus docuerit.* Et alibi: *neque curari id quod aegrum est, posse ab eo, qui quid sit ignoret.* Postea de hominibus verba faciens, qui, repertis medicinae remediis, de rationibus eorum disserere coeperunt, subdit: *quod si jam incidat mali genus aliquod ignotum, non ideo tamen fore medico de rebus cogitandum obscuris; sed cum protinus visurum, cui morbo id proximum sit, tentaturumque remediis, quae vicino malo saepe succurrerint, et per ejus similitudinem opem reperturum. Neque enim se dicare consilio non egere, et irrationabile animal hance artem posse praestare . . . neque quid venas moveat, sed quid, quaeque motus genera significant . . . . ratione opus est ipsi medicinae, si non semper, inter obscuras caussas, neque inter naturales actiones, tamen saepe.* Nec qui attento animo, nulloque partium studio perpenderit, fateatur primum oportet, a ratione Celsum non descivisse, quae temeritati contrara est; deinde analogiae adjumento, et repetitii

auctorum experimentis multum dedisse: non *anceps* propterea eo, quem multi credunt, sensu auxilium suasisse eximium Virum sancire licet, quo tendunt verba: *fieri tamen potest, ut morbus quidem id desideret, corpus autem vix pati posse videatur.* Haec sane in animum inducunt exactam morbi considerationem, non fortuitam, ancipitem medicationem *boni medici*, idest nedum periti, sed propriae famae consulentis, inquit, *est ostendere nullam spem sine sanguinis detractione, fateri in hac ipsa metum, scilicet an adhuc urgentissimo malo sit profutura, an sero nimis, licet indicata, administretur.* Haec sane circumspectio penes aequos rerum judices Auctorem vindicabit a temeritate. Ne vero quispiam de contorto ratiocinio me carpat, sciat, notam censoriam inusisse auctorem nobilissimis medicis, *qui quum neque genus mali, neque remedium invenerint,* cadavera non incidissent; quos id nihil tentasse objurgat: *quia nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluerit, ne occidisse, nisi servasset, videretur. Veri tamen simile est, potuisse aliquid excogitare, detracta sibi verecundia, et fortasse fuisse id* (analogia) *quod aliquis esset expertus. Ad quod medicinae genus, neque semper similitudo aliquid confert; et si quando confert, tamen id ipsum rationabile est, inter multa similia genera et morborum,*

et remediorum çogitare, quo potissimum medicamento sit utendum. Ab his satis abunde patet, num pro temeraria via pugnaverit Auctor, an potius decretoria, ea scilicet, quam Medicus, redactis ad rationis, analogiae, experientiaeque trutinam morbi phaenomenis, constans, et alacer inire debet. Vires aegroti considerat Celsus, num scilicet remediis, si oppressae, adhuc erigi possint, num in malo praecipiti his revocandis tempus suppetat: hac significatione metum, seu remedii incertitudinem fatur, non temerariam hujus praescriptionem. Re enim vera sane, uti opinamur, huic interpretationi favet quotidiana praxis: neminemque fugiunt in morborum complectione *indicantia, contraindicantia, correpugnantiá*, ita ut quod uni morbo medetur, alteri noceat. Anceps est in morbo acuto inflammatorio catharticum remedium, quin immo cane pejus, et angue ab hoc abstinendum, consentientibus primi subsellii Practicis; verumtamen hanc necessario postulat medicationem cacochymia, ne pejores turbae cum evidenti aegrotantis damno suscitentur. Hoc in casu boni Medici erit, ut loquar cum Celso, emeticum prudenter exhibitum ceu tutius auxilium cathartico anteponere; multum enim differt horumce remediorum agendi modus, uti sana ratio, et experientia quotidie probant.

III. Ut tuta ratione remediorum curatio suscipiatur, horum excessui, vel defectui prospicere oportet. Vires stomachi, morbi genius, temperamentum, in ancipiti minus versari sinunt Medicum; sed quum exactam quantitatem remediorum, qualitatemque velle definire prudentiae, et artis leges prohibeant, sufficiant regulae generales: 1.ª morbo par esse debet remedium: 2.ª ea semper adhibenda remedia, quae melius, saepiusque visa sunt profuisse; 3.ª satius esse pauca, eaque idonea remedia exhibere, quam multis, et actuosis festinare; quandoquidem imminuta prudentibus auxiliis morbosae caussae quantitate, quod reliquum est, non ita agere, ac laedere poterit, ut juxta Hippocratis praeceptum *contraria* paullatim exhibendo, et interquiescendo penitus non expellatur. Rem complebit consideratio aetatis, sexus, idiosyncrasiae, anni tempestatum, regionis, praegressorum morborum, qui adventitii esse possunt, aut haereditarii, connati; notum enim est, exploratumque ab harum conditionum discrimine diversam a Medico ineundam esse curandi viam, prosequendamque. Dubitari nequit, medicamina, quae certa quadam anni constitutione medentium votis tutius, meliusque respondent, in alia aut nihil praestare, aut officere. Sunt non pauci, in quibus lene cathar-

ticum alvum movet, in aliis nullum effectum edit drasticum, quinimo hanc magis occludit. In quibusdam sudor erumpit, vix adaucto stragulorum pondere: in aliis omnia non intentata sudorifera spem fallunt. Differunt pro natura locorum genera medicinae, et alia opus est Romae, alia in Aegypto, in Gallia juxta CELSUM a temeritate alienum. Qui aërem continuo inspirant exhalationibus lacuum, paludum, sylvarum, nubibusque infectum, quas Neoterici *mophoetas* nominant, missionibus sanguinis gravius afficiuntur, illis, qui regiones inhabitant aëre puro, renovato, elastico, seu *gaz oxygenio* gaudentes. Aetas quoque confert remediis, purgantis, vel emetici dosis adulto apta nocet puero: quae huic prodest, infantem laedit. Humorum crasi, et specificae horum qualitati accommodanda quoque sunt remedia: in bilis orgasmo laxantia, subacida, diluta sunt plurimae utilitatis: non opportuna, si de tenacibus, pigris humoribus sermo sit, qui remedium magis stimulans, et solvens *saponaceum* postulant. Generalis saniorum lex jubet, ut remedium mediocre seligatur, et a phaenomenis ad efficacius, si rerum adjuncta id velint, progrediatur; tutius enim est, inquiunt, cum medicamentis agere, quam horum vi aegrum in vitae discrimen adducere, aut morbum, perturbatis naturae motubus, protrahere.

IV. Altera hujus praecepti conditio est cita curatio. *Id votum est*, inquit Celsus, *sed fere periculosa et festinatio, et voluptas esse solet.* Ab his facilis est illatio moderationis, et judicii, quibus singulae curae partes considerandae veniunt. Hisce viam sternunt praecepta, et monita in antecessum exposita, quae de perpendendis morborum stadiis inculcant: cito curat, qui, habita caussae morbi coctionis ratione movet, et cito naturae, si valida est, succurrit, nil innovat quum *judicatur*, aut *judicata* est, sed sinit. Naturam esse morborum medicatricem, nemo dubitat, propterea cita, et tuta erit medendi methodus, quae viribus aegri, morbique stadio consulet. Reluctante natura, vel inopportune turbata, longior evadet, qui citius finiret, morbus. Inter ea, quae naturales motus frequentius perturbant, sunt medicamenta, et cibi defectus, vel excessus: de cibo fusius alibi, in praesens, Celso duce, affirmabimus, officium Medici ubique servandum esse et positum in continendo excessu virium, vel sustentando defectu, diaeteticis legibus, et remediis perbelle tendentibus, quo natura vergit; tunc ab Hippocrate laudatam obtinebit Medicus certitudinem, et festinationem. Sed pluries evenit morbos observare, qui tutissimam, ac citissimam exigunt curationem, nul-

lasque permittunt enarratas considerationes: in horum censu sunt febres, quas Practici *perniciosas* nominant, quibusque, nulla interposita mora, specifico cortice peruviano in intervallo accessuum propinato, finem imponere debet Medicus, secus lethales fiunt ad viscera vitalia metastases. Quod aeque affirmari potest de febribus, quae improprio *malignarum* vocabulo enunciantur. Harum febrium evolutio nullam admittit curam *prophylacticam*, effera adeo est, ac pene dixerim, venenosa caussa proxima, ut nisi promptissima huic occurratur, inevitabile fatum succedat, quandoquidem non eamdem semper faciem praeseferunt, et modo ardentem febrem aemulantur, alias epidemice grassantur, et per contagium propagantur, genusque nervosum impetunt cum *affecta*, vel *lymphata mente*, ut inquit cl. Lieutaud. Non est hic loci indagini subjicere harum febrium therapejam: adeo haec varia est, tantique inter Auctores dissensus sunt, ut satius credamus fontes indicare, a quibus haurire possint sciendi cupidi multiplices invadendi modos, quorum accurata enumeratio historiam potius obscuraret, quam elucidaret. De hac febre consulantur cl. Viri Sydenhamus, Van-Swieten, De-Haen, Pringle. Pro curanda sufficiant haec corollaria: 1.° prudens sit in medendo celeritas; deterior enim

est incongrua remedii admotio, quam idonea omissio: 2.° copia remediorum celeritati opponitur, quum et aegrum obruat, et Medico occasionem arripiat notandi quid prosit, aut noceat, ut citam, quantum fieri potest, idoneam curam prosequatur: 3.° si remedium utile experiatur, huic adhaerendum, neque ad aliud festinationis gratia transeundum, nisi nova accesserit indicatio; naturae namque vires ab apto medicamine adjutae nunquam interpellandae sunt: 4.° observationes morborum, quos ad perfectam sanationem citius, et melius natura perducit nullis turbata remediis, rem evincunt. *Ut enim garrulus*, ita ajebat cl. hujus Athenaei lumen Joseph Badia, *inepta plerumque loquitur, ita Medicus plura medicamenta praescribens fere semper delinquit.*

V. Tertia hujus legis conditio est *jucunde curare.* Hanc cum ratione, et prudentia adimplebit Medicus, qui, monente C. Celso, recte perpenderit morbi naturam, conditionem corporis, aetatem, anni tempus, etsi in rebus admodum inter se se disparibus praeceptum temporis non possit esse perpetuum. Jucunditas ab omnibus Practicis morborum curam suscipientibus in cibi, et remedii selectu reponitur. In horum administratione, *neque cubantis*, ut inquit laudatus auctor Pythagoram car-

pens, *luxuriae suscribendum est, neque tortoris vices exhibendae sunt.* Generatim aegris blandimur methodo *extraordinaria*, quae laudabilis, et utilis erit, si hanc permittat morbi natura, non aegri voluntas. Aegroti rebus ferebimus, si a febre periodica detentus *tuto*, *cito*, et *jucunde*, dummodo nihil obstet, eximatur: vel saevissimis ventris doloribus divexato prompto narcoticorum usu *jucundo*, sane auxiliabimur. Hae, quae jucunda sunt aegris, ceu a morbo quantocius servatis, *tuta* quoque sunt, quum ipsos in vado ponant; nil enim vita jucundius. Neque dissimulabo, morem, si conceditur, gerendum esse aegrotanti; at forma, quae minus injucunda ipsi sit, concedendum esse pharmacum, quin immo illa addenda, quibus (integra medicamenti virtute) fastidium, nausea vitentur, et ventriculi labor leniri possit. Si probabili sermone leniendus aeger est, cur non remedio minus insuavi? *Omne tulit punctum*, inquit Poëta lyricus, *qui miscuit utile dulci.* Mentionem quoque fecimus initio hujus commentationis de habenda ratione quantitatis, qualitatisque remediorum, monuimusque perniciosam fore horum farraginem. Jucunda igitur quoque erit curandi methodus dosi, et copia modum non excedens: anne fluxu dysenterico sesquipedalibus formulis

ex purgantibus, adstringentibus, roborantibus, opiatis concinnatis praestat simplex ipecacuanhae recens cortex? Cur si chinam-chinam praescribis in febre, inque hac totam, et jure, spem collocas, huic salia, extracta, caetera adjungis? *Medicamenta*, inquit Gorter, *rite sint praeparata, odore, calore, et sapore, quantum fieri potest, grata.* Verbo scire expedit jucunditati celeritatem anteponendam esse, securitati celeritatem.

PRAECEPTUM VIII.

Natura morborum medicatrix, Medicus naturae minister.

§. I.

Quantum rationi feliciter inveniendae eorum, quae Medico agenda sunt, et modo cum in *prophylaxi* sanorum, tum in aegrotantium curationibus, assequendo sedula naturae investigatio conducat, expositari sumus. Missis Veterum, et Neotericorum de hac natura quaestionibus, ineptisque nominibus (sive dicas cum Hippocrate *naturam morborum medicatricem*, sive cum aliis *animam, archeum*, perinde est), hanc cum sanioribus Viris conditionum omnium

physicarum complexum definiemus, quae rite succedentes optimam, constantemque tuentur sanitatem, labefactatae morbos creant. Ab illorum partibus propterea non distamus, qui naturam, et vires unum, idemque esse decernunt; re namque vera pronum est id credere, si eo virium penu natura ditatur, quibus se se a morbis tueatur, liberetque. Licet continuis vitae actionibus corpus obvium motu, attrituque sensim destruatur, facultate tamen gaudet, qua extranea sibi assimilando jacturam reparet, seque humorum fluxu, et mutatione, ceu perpetuo remedio incolume servet. Ab hisce eximiis viribus, quibus morbosa, et praeter naturam temperat, et subigit, natura ipsa solidae compagis ulcera, fracturas, mutilationes artificio inimitabili consolidat, redintegrat, expungit, resarcit. Memorabilis horum virium effectus est *suppuratio*, cujus ope acria, obstructa, inflammata, emortua modo qualibet arte superiori resolvit, ejicit, emendat. Hinc et est utilitas *emunctoriorum*, quorum beneficio quae nocent, aut nocitura sunt, sive suscepta, sive spontanea mature expellit, sicuti perpendenti vias, quas sibi hae vires aperiunt inconsuetas, haemorrhoidum nempe, vomitus, diarrhoeae, sudoris, facile patet. Ab hisce motricibus viribus irritatis multimodi emanant *automotatici*, irregulares-

que motus, praecipuum vitae, sanitatique tuendis praesidium, tum sanandis, et praecavendis morbis praeter spem optatissimum. Inter hos febris est, quae etsi morbus fere semper sit exitus incerti, imminentis tamen, aut praesentis mali quandoque auxilium est. Quid plura? Harum virium potentia tanta est, ut consuetum hominem ab illis rebus insontem reddant, quae aliis non assuetis officiunt: hae vires ab usu ita reviviscunt, ut, si laudabile servetur sex rerum non naturalium regimen, caduca fruentibus valetudine aetate viridi, inesperatam longaevitatem concedant. Tandem nemo nescit deteriora saepe melioribus esse praeferenda; felix itaque, qui haec rite noscere didicit, iisdemque prudenter obsecundare. Hisce generatim praelibatis, minutiores addemus animadversiones.

II. Jamvero sive sanus sit homo, sive aegrotans, in utroque statu servandis viribus mentem intendere oportet. Hae vires in homine sano similium appositione tuentur; at in aegroto si a necessaria conditione recedunt, varia sub ratione considerandae veniunt, utrum scilicet multum detrimenti ceperint, et quo modo: an sola appositione similium erigi possint: an detractione indigeant: an hisce conservandis sufficiat caussae emendatio. Haec omnia Medico innotescere possunt, qui *conjuncta* morbum in-

dicantia non solum, sed penitiorem morbi caussam ad aequam trutinam revocabit; hoc pacto genium morbi, hujus sedem facilius assequetur, et *prognosi* instituendae minus erit implexus. Si vero a dissimili caussa morbus foveatur, singula utriusque caussae symptomata accurate notare expedit, ne, dum urgentiori morbo fit satis, alter exasperetur. Haec curiosa investigatio Clinicos edocebit de statu virium, utrum vincendo morbo parium, an inidonearum, verbo quid natura ferat, aut velit; propterea cavendum est, ne morbosae caussae natura molliens coctionem, aut criticam evacuationem arte improvida turbetur, aut prohibeatur, ut ex iis, quae in superioribus de morborum stadiis, de signis coctionis, diebus criticis, crisi, deque functionum laesionibus dicta sunt, colligere est: *haec* enim *est regia curandi via*, inquit Gaubius, *et doleo eam inanibus, noxiis, intempestivis praesidiis turbatam, abruptam.* Duplici modo vires servari queunt, vel similibus, vel contrariis de mente nostri Antistitis, ut in posterum notare expediet. Primam partem complent cibus, et potus, qui, ut alibi animadvertemus, in substantiam corpori homogeneam verti debent: contraria erunt illa, quae imminuendae, corrigendae morbi caussae idonea censentur. Natura

a nimio fomite morboso obruta, vel ab hujus qualitate in opere suo turbata obeundis coctionibus, et crisibus impar evadit; caussa igitur, quae naturales vires dejicit, apprime perscrutanda est, num a quantitate fiat, an a qualitate, aut motu inordinato. Si a quantitate, vel peccat excessu, vel defectu. Saepissime homines a plethora sive legitima, vel spuria in virium concidentiam labuntur; vel enim absosoluta, seu vera plethora est, deque hac nedum corporis habitus, et pulsus dubitare sinunt, sed praegressa, inhaerentia hanc confirmant, uti suppressae naturales, vel artificiales evacuationes, aetas, temperamentum sanguineum, exquisitus dapum usus, vita deses, et umbratilis, quibus major chyli, et sanguinis copia, quam nurritio, accretio, et excretiones absumunt, elaboratur. Prudens Medicus hujus plenitudinis copiam imminuet congrua diaeta, opportunis, si praestabit, sanguinis missionibus, aut admotis, sive consuetudo, aut aliae circumstantiae id velint, sedi opportune hirudinibus, aut aliis praesidiis, quae sapiens natura indicare poterit, saepius copiosiorem movebit alvum, urinam, sudorem. At non ita sentiendum est de plethora apparente, seu spuria, respectiva, quum non a sanguinis exuberantia pendere videatur, sed a vasorum turgescentia quasi subitanea, quae

variorum laticum rarefactionis effectum praebet; Fallax saepe est floridus cutis color, qui saepe ad peculiarem pertinet constitutionem : huic crebro ansam praebent inconditus corporis motus, ingluvies, strenuus liquorum ardentium potus, qui variis titulis a bibonibus insigniuntur. Hujusce therapeja congruo regimine crebro absolvitur, victu nempe tenui, labore, vel alio quolibet corporis motu, somno breviore : neque inutilia censeri debent sudorem moventia, diuretica, cathartica: *caveant* igitur, inquit cl. Lieutaud, *qui pessimo more numerosioribus venae sectionibus indulgent, ne alios morbos misellis aegrotantibus lugendos promoveant; nec* enim *omnibus plethoricis congruit venae sectio, cum plures occurrant vel habitus athletici, qui quamlibet sanguinis detractionem minime ferre valent; nec desunt, qui hanc ita expavescunt, ut ab aspectu phlebotomi animo linquantur: admoveri queunt in utroque casu hirudines, quarum beneficio cruor pro lubitu educitur, nullo succedente incommodo.* Inter infortunia, quae crebro oriuntur a frequentia mittendi sanguinis, unum est novi sanguinis intolerantia. Quamobrem illorum vestigiis non adhaerendum, qui pro quolidet corporis vago dolore, aut periodico, aut gravativo, nullo habito caussarum di-

scrimine, venam secandam jubent, sanguinemque improvide profundentes longioribus, et gravioribus malis viam aperiunt. Si huic plethorae cachexia societur, peculiarem hujus habendam esse rationem quisque intelligit, uti peculiarem poscit animadversionem intestinus humorum motus ab aliena materie exsuscitatus, qui ansam praebet rarefactioni. Exiguum hoc, et apparens sanguinis superpondium stimuli vices gerit in naturis irritabilibus, motusque creat inordinatos, alias spontaneam lassitudinem, torporem, gravitatis sensum, quibus emendandis, utrum mittendi sanguinis indicatio sit, an sedandi irritamenta temperantibus, subacidis, antispasmodicis etc., ab anteactis illatio, ni fallor, facilis est: uti obvium judicium erit de illis, qui dum ab apparente, et fugaci phlebotomiae levamine sibi plaudunt, a passione hysterica, hypochodriaca, convulsionibus supervenientibus pudore suffunduntur.

III. Porro quum vires, ut dictum est, vel similium adjunctione reparentur, vel morbosi fomitis emendatione, perpendere oportet num hae vincendo morbo pares sint; in hoc casu therapejae cardo idoneae diaetae committendus est: secus antecedentia, inhaerentia, et concomitantia, prudens, ac necessarium auxilium indicabunt. Si quis ab intempestivo frigore susce-

pto in febrem rheumaticam cum debilitate virium labitur, absque praecipuis symptomatibus hanc comitantibus, eo vel magis si alias consimili morbo correptus perfecte convaluerit, prudentiorisne erit Clinici ministri vices gerenti una quiete, et blandam diaphoresim cientibus, praescriptis rem totam naturae medicatrici committere, an ipsam irritis, intempestivis remediis lacessire? Ephemerae quotidie notantur, ac cephalalgiae, quarum natura propriis viribus tutam, citam, jucundam curam in adsuetis absolvit: ob id apposite scriptum reliquit cl. Praeceptor meus Somis, *ephemerum morbum esse, ex quo sive Medicum accersant, sive non, aegrotantes convalescunt.* At dum haec effamur, probe distinguendas esse circumstantias proponimus, ne quibusdam videamur ministri operam pauci facere, dum hanc crebro pernecessariam esse remur. Aetas, morbosae caussae genius, et alia pluries memorata consideranda sunt, ne a munere suo minister egrediatur. Si namque juvenis firma gaudens valetudine, nullos antea perpessus morbos ex sola haemorrhagia viribus est destitutus, hic cibis eupeptis, et quiete nervos recipit, quod sperari minime potest in sene, aut in illis, quorum vim vitae venenum, vel caussae solutionem humorum facientes dejecerint. Nemo peritus vires a caussa putri exsolutas solo

analepticorum usu reparari posse dijudicabit, sed his adjunget praesidia, quae saepius, et melius in similibus rerum adjunctis cessisse visa sunt. Tandem vel morbus sanabilis est, vel chronicus: si primum, sufficient exposita, si alterum, experientia firmatum est, quod natura non sanat, cuilibet arti impervium esse; propterea prudens erit Clinicus, qui, remediis a longo tempore incassum adhibitis, quum in pejus morbum verti comperierit, vitalibus functionibus prospiciens, in laudabili usu sex rerum non naturalium spem reponat, persuasum sibi habens miram esse naturae potestatem, qua evincitur verum medicinae fundamentum in ipsa hominis natura consistere, omnemque doctrinam medicam bonae frugis naturae normae accommodandam esse. Curiosa igitur sit naturae contemplatio, diligens imitatio, quae uti ortum, incrementum arti dedere, dabuntque, ita Medicis lucem affulgebunt, ne bene agens natura ab opere suo avertatur, aut indigenti tuto, cito, et jucunde non opituletur.

PRAECEPTUM IX.

Quidquid in aegro deprehenditur secundum naturam sui conservationem semper requirit.

§. I.

Naturam morborum esse medicatricem, hac deficiente, aut repugnante, irrita fore artis molimina dictum est. Silentio non pressimus naturam, et vires unum, idemque esse; igitur qui morbi alicujus curam suscipiet, omnem, quantam poterit, navabit operam viribus naturae conservandis. His auxiliabitur, si actiones, quae secundum naturam sunt, proteget, ita illas, quae a naturali statu recesserunt, arte, si opus est, naturae viribus adjuta facilius ad officium revocabit. Ratum, firmumque est, nullum esse morbum licet gravissimum, quem, vita adhuc superstite, non possit superare quod reliquum est virium. Sanis itaque, vel a naturali statu recessis corporis actionibus non prospicere, idem est, ac naturam morborum medicatricem, vel functiones, quibus vita fit, ac durat, contemnere; quum enim deperditum, nisi actione vitae, quae ingesta sunt assimilentur, restitui non possit, evidens est non a laesis, sed vigentibus organis, aut vix labefa-

ctatis munus hoc praestari. At nemo opinabitur id obtineri, si virium secundum naturam adhuc se habentium conservationem Medicus negligit. Quae cum ita sint, necessum est illa admovere praesidia, quae morbo vincendo, et viribus auxiliandis conveniant. Atque hoc opus, hic labor. Vel enim ejus indolis morbus est, cui fugando pares naturae vires conjicimus, tunc nil praeter ea, quae partium rite se habentium conservationi favent, in usum vocanda sunt: vel eo pervenit morbus, ut et naturae, et artis conamina superet, praestabit tunc solis viribus ipsum relinquere, quam illius eventum opinioni, dubiisque remediis committere: *satius enim est, ut pereat aeger vi morbi, quam vi remedii.* Si vero auxiliis morbum devictum iri putabit Medicus, in horum delectu, et exhibitione cautus sit, praecaveatque ne horum quantitate, aut qualitate vires obruat, actionesque sanas superstites debilitet, destruat. Hinc pessimus est illorum mos, qui nullam hujusce praecepti rationem habentes *a principio morbi*, ut inquit Baglivi, *ad declinationem usque purgantibus, diaphoreticis, phlebotomiis, aliisque imprudenter, et intempestive adhibitis aegros suos conficiunt, unde impossibile est, ut humores per tam diversas remediorum seditiones distracti ad criticae despumationis*

negotium suo tempore disponantur, *atque criticorum dierum regulae ab antiquis traditae observari queant.* In quocumque malo raro non constabit sedulo observari, quo natura efficaciter tendat, quum alicujus materiei evacuationem moliens gradatim, stato fere tempore ipsam perficiat; hinc qui morbum curae habet, ad eamdem a natura indicatam evacuationis speciem promovendam statis temporibus animum advertet: procul absit coecus, et irrationalis impetus praescribendi. Non pauci sunt, quibus usu receptum est, nulla habita ratione proximae caussae morbi, praedisponentis, occasionalis, temporum, aetatis, impavide a morbi initio ad cathartica, emetica promiscue confugere; at liceat horum oculis subjicere discrimen, in quod inconsultus horumce remediorum usus misellos aegros adducit. Raro in morborum acutorum initio utilia sunt cathartica, quin imo noxia, eo vel magis si e censu *calidorum*, ut inquiunt, et *acrium* eligantur: nullo modo apta sunt iis, qui nigra evomunt, subtumidi sunt, tenebricosa vertigine male se habent, vultu feroces, aut fracti vi febris ad soporem proni sunt, vel animo facile delinquunt: ab his laeduntur, qui a vehementi corporis exercitio capite dolent, raucedine, tussi sicca, spirandi difficultate laborant, eruda dejiciunt, aut san-

guinem profundunt: ita sentiunt primi subsellii Practici, his respondet experientia. Secus vero cum his agendum erit, si congestiones partium superiorum a saburra primarum viarum, vel alvo stipata repeti jure possent. Qui de hac re erudiri, uti par est, amat, immortalem CELSUM adeat de opportunitate purgantium (lib. I cap. III, et lib. II cap. XIV): *generatim purgationes, ut interdum sunt necessariae*, inquit BARKUSEN, *ubi frequentes sunt, periculum afferunt*: sub cane, et ante canem difficiles sunt purgationes: melancholicis, pinguibus, gulae deditis magis conveniunt, quam strigosis, senibus, et pueris; *assuescit enim corpus non ali*, inquit CELSUS, *ab hoc infirmatur, quum omnibus morbis obnoxia magis infirmitas sit.* Quae de purgantibus cautiones necessariae sunt, easdem merentur emetica; *ratione tempestatis*, ait HIPPOCRATES, *aestate superiores potius partes, hyeme inferiores medicandae.* Natura, teste experientia, per viam, qua potest, proximam res sibi adversas expugnare tentat; hujus ergo institutum primo considerare fas est, dein aequum, et accuratum instituendum est examen febris, caussae, omnium symptomatum, viscerumque status. Oris amarities, foetor, pravi, corruptique in ventriculo, aut vicinis partibus haerentes succi, frequens saliva, nausea, ructus

cum dolore, et gravitate praecordiorum, pectorisque aestuatione, emeticum suadent: neque solum febris initio, sed quovis tempore, si tardius accesserit Medicus ad aegrum, illiusque vires ferendo remedio pares cognoverit, propinare poterit. At cavendum est, ne huic repugnent prava corporis dispositio, vasorum scilicet ad rupturam proclivitas, faciles ad certa loca *metastases*, plethora legitima, aut a stimulo suscitata, quae facilem praebere potest occasionem inflammationi, eo vel magis si contigua viscera jam aliqua labe affecta fuerint. Haec significant, quantonam jure sagaces Practici, praeeunte immortali SYDENHAM, missionem sanguinis emetico saepe numero praemittendam suadeant, ne plus aequo distentis vasis, mollis encephali pulpa comprimatur, aut ex vomendi conatubus, et violentia dilatata pulmonum, capitisque vasa sanguinem cum periculo effundant. Procul sint, quae vomitum cient ab haemophtoicis, herniosis, utero gerentibus, aut suffocatione, vel *ataxia* nervorum laborantibus; nec magis fidendum est diaphoreticis, nisi intra debitos cancellos contineantur, et apto tempore promoveantur. Ut summae est utilitatis tempestivus sudor, ita non parum obest, si inopportune per vim cogitur, ac diutius, quam par est, protrahitur. Nemo sanus ibit inficias, inter mor-

bos non paucos observari, quorum prospera judicatio sudor est; sed qui Hippocratis, Celsi, et illustrium Neotericorum scripta pervolverit, affirmabit sudorem quocumque morbi stadio bonum esse posse, et tamquam utilem, si non proderit, excitandum: at praecipuis standum esse legibus omnes consentiunt a morbi natura, *symptomatibus*, et viribus deductis, ne a spontaneo, et praepostero decipiamur. Optimum Hippocrates, ejusque sectatores censent sudorem, qui diebus criticis erumpit cum symptomatum mitescentia, aegrum a febre liberat, quum ab universo corpore manat: modicus prodest, nocet effusus in febribus potissimum acutis, in quarum exordio ceu *symptomaticus* praecocia excitat exanthemata tristissimi exitus, ut alibi dictum. Non dissimile de diureticis praecipue fortioribus judicium ferendum est. Cum *heroicis*, ut inquiunt, seu decretoriis remediis caute mercandum est: in horum censu praecipuum locum obtinet sanguinis missio, quae multis inter Veteres, et Recentiores disputationibus praebuit occasionem. Has recensere nobis in praesens animus non est; sed liceat animadvertere in illos, qui cum Bellino in quocumque morbo, in quocumque tempore venam secandam jubent, aut qui cum Helmontio nunquam mittendum

esse sanguinem pronunciant. His ambagibus non irretietur ille, qui perturbationis expers diagnosim ab *antecedentibus*, *inhaerentibus*, *concomitantibus* deducet, et hippocraticis monitis, experientia, et observationibus se regi sinet. Manifesta verae, seu legitimae plethorae signa in superioribus tradita sunt: de spuria non ita sentiendum est, quum facilis sit aberrationis locus. Re enim vera multa emergunt ex tempore symptomata, quae prima fronte phlebotomiam indicare videntur; sed re bene perspecta, non parvum ab hac aegrotans detrimentum caperet, quandoquidem a rarescentia humorum, habitá caussarum, de quibus alibi mentionem fecimus, ratione, suscitatur *notha* plethora. Tenax saepe vigilia, ad soporem propensio, mens inconstans, pulsus elatus, et celer, respiratio difficilis, crebra, alvus compressa, cutis sicca imbecillitatem partium significant, non sanginem copia peccantem; propterea, rebus ita se habentibus, quamvis morbus acutiem quodammodo mentiri possit, nemo tamen prudens sanguinem mittendum esse proponet, quum vitales functiones, quae imminutae sunt, prorsus deficiantur. Sed non abs re erit hic loci animadvertere in distinctionem, quam notant Practici inter vires debiles, et oppressas; saepe morbus adeo impetit, ut *conjuncta* suffocationis metum

incutiant: quo in casu phlebotomia *urgentiori* succurrere oportet, ut sanguinis circuitus a probabili haerente materie in extremitatibus arteriarum, aut initio lymphaticorum remissus liberior evadat, et vires *oppressae* instaurentur. Qui victu, vivendique rationi, temperamento, regioni, idiosyncrasiae, praegressis naturalibus, vel arte petitis evacuationibus, sexui, aetati consulet, de praescriptione tutior erit; namque aureum monitum C. Celsi ante oculos continuo habendum est, *interesse*, inquientis, *non quae aetas, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint.* Aetas, et corporis habitus saepe fallunt, atque in genere constat molli mulierum corpori prae viris, et obesis prae gracili constitutione donatis venae sectionem officere.

II. Praeter haec, deliberationi, quidquid aliqui aliter sentiant, non parum confert detracti sanguinis inspectio, ut alibi monuimus. Generatim dubitari nequit, a sanguinis crasi virium conditionem deduci jure posse, adeo ut experientia constet, majorem absque detrimento educi sanguinis copiam, si densitate peccet, quandoquidem cum a copia, tum a cohaerentia, seu tenacitate stases ubique fiunt, et pedissequae inflammationes acutissimae, periculo plenae, quarum exemplar quotidie praebent homines robusti, et vino, ac spirituosis strenue litantes:

quae infortunia iis non instant, quorum temperies est delicatula, et sanguis decolor. Interea notare juvat quandoque in febribus etiam acutis suspenso pede agendum esse cum *phlebotomia*, quum immodica evacuatio, animi defectio, vehemens cum vigilia dolor, nervorum distensio morbum comitantur. Inter evacuationes aliae cruentae sunt, aliae per alvi, urinae, cutis vias succedunt, perque vomitum. Cruentae apprime considerandae sunt; sub his enim, si caussa morbi mitescit, aut tollitur cum evidenti aegrotantis levamine, ut docet HIPPOCRATIS praeceptum, sinendae sunt, et prudentia fretus Medicus ad congrua, ut inquiunt, *alterantia*, et similium appositionem, quae morbi genius indicat, cogitationem intendet. Quodsi ab his evanidis, aut non ea, quae a *conjunctis* conjici potest, copia fluentibus nondum levatum iri aegrum notaverit, venam secare potest. At summa quoque hic opus praesensione; vel enim diu duraturas metus subest paulatinas has evacuationes, aut de virium non mediocri concidentia, suspicari potest, tunc remedia primum, quae has sensim compescere queunt, aut alias evacuationes, ceu vicarias (de quibus in superioribus) forsan imminutas suscitare, tentabit Clinicus. Si haec votis non respondebunt, ne ulterius ab his vires detrimentum capiant, non

abs re erit sanguinem ea mittere quantitate, quam majorem, minoremque poscit virium conditio. Id in foeminis frequenter evenit, nilque impedit, quominus a minori, quam par est, mensium fluxu sanguis mittatur, et levatis viribus forsan *oppressis*, tuta magis, ac cita obtineatur curatio. Idem esto judicium de sanguineo narium, aut haemorrhoidum fluxu. Neque hujusmodi evacuationes sive naturales sint, vel quodam excessu peccent, Medicum ab hoc chirurgico remedio abducere debent in morbis, quorum praecipuus curae cardo est, ut in pleuritide, peripneumonia, etc. Sed aliud adhuc incumbit opus perpendendum, tempus scilicet instituendae phlebotomiae idoneum, nec non cautiones, quae ante, et post hujus celebrationem, et ipso quo fit tempore pernecessariae sunt, et a prudentioribus haud negliguntur. Tuto, cito, jucunde curandum esse notum est ex superioribus. Verum peritos non latet in arte Viros, a a nimia humorum copia obrui vasa, turbari sanguinis circuitum, imminui insensilem cutis halitum, aestum increscere, liquidorumque ad putrescentem indolem dispositionem in dies evehi: ipsos aeque non fugit, nil phlebotomia utilius expediendo sanguinis circuitui, revocandae perspirationi Santorianae, compescendo aestui, immutandaeque pravae humorum pro-

clivitati. Qui haec rite perpenderit, dum vires adhuc constant, de cita, et tuta curandi methodo promptae phlebotomiae auxilio non dubitabit ; at provecto morbo cautior fortasse haerebit in hujus praescriptione, ni sedula circumstantiarum ratio ferat, aut velit. Verumtamen non desunt, qui certis morbi diebus sanguinis missionem circumscribunt, duce C. Celso. Alii a nullo morbi stadio hanc expungere videntur, praeeuntibus inter Veteres Avicennâ, Galeno, inter posteriores non paucos, Sydenham, Lieutaud, Boissier, Van-Swieten, etc. Componi tamen posse dissidium non ita difficile videtur, consideranti patronos primae opinionis, quartam diem ad summum, ceu peremptoriam, ut ita dicam, movendis humoribus idoneam decrevisse in febribus continentibus inflammatoriis, quarum tanta velocitas est, ut vix temporis curae permittant : inquit nempe Celsus, *sanguinem mittere nunquam utile est post diem quartum, cum jam spatio ipso materia vel exhausta est, vel corpus corrupit, ut detractio imbecillum id facere possit, non possit integrum.* Et quamvis Hippocrati adhaereat affirmanti in gravidis, infantibus cautissime sanguinem ducendum esse, quae tamen alibi pronunciat Auctor latinus, alienum esse ab hac circumspectione probant ; *interest enim*, affir-

mat, *non quae aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint.* Cum autem praecipua in hoc ars sit, quae non annos, sed vires aestimet, *non videtur* ideo Celsus, inquit Van-Swieten, *adeo novisse usum illum venae sectionis, quo febris impetus temperetur; sed tantum illam laudasse, ut copia minueretur, vel tolleretur corruptum.* Quum vero venae sectio indicationibus superius memoratis inserviat, patet nullum posse, de mente aliorum, definiri ex integro tempus, quo nequeat absque fructu celebrari *phlebotomia.* Rarum non est materiem morbi peccantem, quae primis morbi diebus silet, sui genium evolvere septima, octava die, vel et morbi exordio saeviens, ac celebratis juxta ipsius impetum, atque *symptomatum* intensitatem venae sectionibus moderatam, diebus successivis recrudescere; nil tunc vetat, quominus iterum dematur sanguis ea copia, quam poscit prudentia, donec morbi impetus, resque omnis aegroti in meliori statu constituta videatur, quum quae de novo emergunt, consilio novo indigeant. Quamvis haec ita se habeant, cavendum est, ne a quacumque morbi mutatione praepostere, et nimis profuso hoc auxilio aegrotanti summopere noceamus: *est namque modus in rebus, sunt certi denique fines, quos ultra, citraque*

nequit consistere rectum. Tutiori curae normam dabit doctrina de signis coctionis, diebus criticis, de perturbationibus criticis, quae inconsiderate a multis pro symptomaticis saepe habentur: secus motus naturae salutares incoepti subvertuntur, aut prorsus impediuntur, quod non ministri, non adjutoris est, sed hostis infensissimi. Nec quibusdam scrupulum moveant verba Celsi inquientis: *quodsi vehemens febris urget, in ipso ejus impetu sanguinem mittere hominem jugulare est;* non enim de continentibus inflammatoriis intelligenda haec sunt, sed de intermittentibus, et remittentibus, quum subjungat: *expectanda ergo intermissio est, si non decedit, cum crescere desiit: si neque remissio sequatur, tunc quoque, quamvis pejor, sola tamen occasio non omittenda est.* Quae sane cautio multae utilitatis est in hisce febrium speciebus: *conjuncta* siquidem, quae in summo harum vigore postulare videntur venae sectionem, sponte cessant in declinatione, interimque phlebotomiae, ceu per se hisce febribus noxiae consulto parcitur. Alteri a Pathologis exagitatae quaestioni de opportuno tempore mittendi sanguinis, respondebimus: 1.° perpendenda fore febrium tempora, nec tanti faciendas esse diurnas horas, aut nocturnas: 2.° secundum rationem non juxta fortuita phaenomena

agendum esse; hinc patet, quid de illorum opinione proferri possit, qui a solis exortu, vel astrorum aspectu phlebotomiae delectum metiuntur. A ratione, et cauta praxi minus distant omnes primi subsellii Practici, qui febrium tempora, hujusque exacerbationes notanda esse volunt; si enim nullum ordinem hae servant, et moram concedunt, remissionis tempus, sive in horas cadat matutinas, aut vespertinas, vel in ipsammet noctem, pro celebranda phlebotomia aeque utile exhibent: si vero ea fuerit natura febris, ut ordinatas habeat accessiones, non parvi faciendum prae reliquis tempus matutinum, *quo corpus*, ut verbis utamur Lommii, *vegetum magis est, et tranquillius.* Neque illis assensum denegabimus, qui suspenso pede ad *phlebotomiam* accedunt praesentibus in ventriculo, et intestinis sordibus; sed hic loci vetitum non erit animadvertere, huic legi practicae initio praecipue morbi auscultandum esse, non in provecto, quum raro ea possit esse congestio in primis viis, quae venae sectionem contraindicet; propterea que si *unisona symptomata* phlebotomiam suadebunt, venia ab eximiis Viris petita, hanc instituere non dubitamus. Hucusque tradita satis, ni fallor, evincunt, quanti intersit conservatio actionum cum in morbis, tum in sanitate, quae secundum naturam sunt; et quum

valetudini tuendae, profligandisque morbis aliae aliis functiones magis necessariae sint, videndum, quibus prospicere urgentius sit. Hinc nemo dubitabit vitales primum obtineri locum, dein naturales, a quarum integritate proficiscitur animalium conservatio. Ni motus cordis, arteriarum, et respiratio rite se habeant, sanitas quammaxime labefactatur, harum cessatio vitae filum abrumpit: secretiones, excretionesque pervertuntur, si chylificatio, hematosis, verbo nutritio, juxta circumstantiarum latitudinem non peragantur. Praestat quoque perpendere prae reliquis functionibus digestionis opus, a quo pendent ceterae functiones. Animales, etsi trahendae vitae, si deglutitionem excipias, necessariae non sint, tamen quum tuendis vitalibus, ac naturalibus conferant, non parvam merentur considerationem; sensuum enim exercitium natura concessit hominibus, ut horum ministerio de rebus vitae, sanitatique infensis moneantur. Patet igitur necessarium horum munus, propterea horum integritatis necessitas.

PRAECEPTUM X.

Contraria contrariis curanda sunt, similia similibus conservanda.

§. I.

Qui artem probe callent, facile assequuntur, omnes hucusque traditas in superiora praecepta animadversiones eo tendere, ut aut praesens valetudo conservetur, vel amissa, quantum Medico naturae ministro concessum est, recuperetur. Id vero assequi nemo non videt, nisi remedia, vel similium appositio, caussae morbi tollendae apposita adversentur. Hinc jure sanciri potest, priorem praxis Medicae cardinem hoc in praecepto consistere; quod unum idemque sonat cum contrarii vocabulo, et significatione. At notare expedit, errorem facile subrepere, si vocabulo tenus haec doctrina hippocratica interpretetur; saepe namque in usum vocantur remedia, quae prima fronte morbo potius favere, quam adversari creduntur. Quotidiana edocemur experientia, in externis inflammationibus, in lassitudine a retardato cutis halitu nata quandoque spirituosa ceu discutientia, saepe enervantia conducere, quae tamen utroque in casu morbo contraria sunt, quippequae oppo-

sitis viribus pugnantia morbi caussam superant. In alvi fluxu ex sordium in intestinis colluvie jussum purgans idoneum remedium est, uti vomitus, quum iners, mucosus humor in ventriculo collectus nullum admittit promptius, tutiusque emetico auxilium. Cur in uteri haemorrhagia, vel haemoptysi sanguis pluries missus saepe aliis palmam praeripit, licet augendae debilitati inserviat? Qui gravissima haec infortunia ex nimia in vasis harumce partium sanguinis congestione, aut ad has, imminutis resistentiis, uberiori laticis sanguinei fluxu ceu caussa morbi proxima foveri animadverterit, auxilium morbo contrarium esse facile intelliget. Dolor dolore curatur: nive, non calore ad vitam revocantur membra congelata. De contrariorum necessitate nos edocet sapientis naturae institutum; si quid enim oeconomiam turbat, irritamenta suscitat vincendis morbosis stimulis apta. Haec, quae similia prima fronte videri possunt, re penitius inspecta, contraria sunt, non secus ac purgantia, epispastica, et alia, quae passim superandis irritamentis a Medico rationali praescribuntur, ut morbosum temperet, expellatque.

II. Porro, quum primarius artis medicae finis eo tendat, ut hominis sanitas sarta, tectaque servetur, hunc complebit adaequata, quantum fieri potest, proximae morbi caussae notio.

Quamobrem ne ultra, quam par est, excurramus, de praecipuis caussarum differentiis verba tantum faciemus, ut ab his contrariorum necessitas evidentior patere queat. In memoriam igitur caussas revocare fas est, quas tradunt institutiones pathologicae, *praedisponentem* videlicet, *occasionalem*, *proximam*, seu *continentem*. Juxta caussarum differentiam varia exigitur thaerapeja suo quaevis designata vocabulo; nempe *prophylactica*, seu *praeservatoria*, *curativa* seu *radicativa*, *palliativa*. *Praedisponens* caussa est quaevis corpori inhaerens conditio, qua ipsum ad suscipiendum morbum, nata occasione, disponitur: *occasionalis* ea vocatur, quae praedisponenti superveniens hanc excitat, ut una morbum pariat, qui ex alterutrius defectu nunquam evolveretur; praedispositio enim, si abest, occasio non nocet, et si praedispositioni haec non adjungitur, morbus non exploditur. Hinc non omnes, grassantibus peste, variolis, morbo epidemico iisdem corripiuntur, licet aër iisdem infectus miasmatibus ab omnibus inspiretur. Cur igitur ex eademmet caussa robusti in pleuritidem, juvenes, ut supra memoravimus, in chronicos pectoris morbos facilius conjiciuntur, ni a praedispositione, quam fovent primi ab evecta humorum densitate prae aliis conditionibus, a plethora vera secundi? Haec

satis evincunt utilem, ac necessariam caussarum praedisponentium inquisitionem, quum potentia efficax esse non possit, nisi in corpus agat recipiendae ipsius impressioni aptum, et quemadmodum diathesis *seminalis* in morbum non erumpit, sin quadam vi idonea excitetur : ita sanitas aequa conditione se se ab omnibus, et singulis insalubribus tueri potest. Hinc caussarum praedisponentium, et occasionalium attenta ratio habenda est, ut ad harum effectus, seu morbi cognitionem perveniat Medicus, et auxiliis contrariis illum contineat, auferatque. Porro quum firmae, fluidaeque partes corpus constituant, atque utraeque (quidquid obsaniant nonnulli) vitiari possint, mutuaeque, ut magis morbosae fiant, sibi sint occasioni, quod vitiatum primitus est, illud ad morbos ulterius praedisponere sana ratio, observationes, et experientia nullum sinunt dubitationi locum. Oportet itaque, ni fallor, rite perpendere, inter has partes illam, quae praevaleat, ut contrariis viribus ad bonam frugem disponatur. His ut faciat satis Medicus, multi interest primum similarium partium vitiorum consideratio, dein organicarum, ultimo fluidarum. Nexu, tono, quantitate, substantia, sede peccare possunt solidae partes : ad nexum referuntur minor potentia, qua fibrae similares inter se cohaerent, et qua ad solutionem dis-

ponuntur. Validiori fibrarum se se decurtandi potentiae, seu *contractilitati* opponitur laxitas: ad hunc censum referuntur facilior nativa partium mollium flexibilitas, quae natura rigidae sunt, et elasticae: nimia acquisita rigiditas: ac tandem elasticitas, ac inertia illa, ob quam partes molles vel praeter naturam suam elasticae evadunt, vel debito orbantur elatere. Horum morborum seminia, vel rudimenta, si hominibus a nativitate inhaerent, ceu a parentibus in filios derivata, *gentilitios*, *haereditarios* morbos creant, vel *connatos*, quum statim post partum notantur, vel brevi tempore a caussa jam latente, insontibus parentibus, prosiliunt; propterea quum *diatheses haereditariae*, aut *connatae* nullam per annos saepe sensibilem labem, functionumque laesionem prodant, et diu sopitae suo demum tempore faventes conditiones nactae in analogam sibi morborum speciem efflorescant, pernecessarium erit has rite investigare conditiones, ut, si radicitus extirpari nequeant, illarum saltem progressus, quantum licet, retardetur, aut si evectus contrariis, ne ad summum perveniat, contineatur. Inter has conditiones una cum idoneis remediis, praecipuum locum obtinent sex res non naturales, *aër*, *cibus*, et *potus*, *somnus*, et *vigilia*, *motus*, et *quies*, *excreta*, et *retenta*, nec non

animi pathemata. Quam ob rem prudens, et remediis cohaerens horum delectus, et usus exigitur. Quaecumque debitum gluten, quod *naturale sustentaculum* vocatur, fibris conciliabunt, roburque addent cum imminutione tensionis, et convenienti humiditate, contraria erunt remedia fragilitati, et rigiditati, tum morbosis effectubus, qui elongationi a rigiditate impeditae succedunt, uti sunt articulorum immobilitas, deglutiendi difficultas, tardior sanguinis circuitus, laboriosior digestionis opus, tum secretionum, excretionumque, corporis incrementi, actionum animalium hebetudo, verbo praematura senectus. Inter remedia hisce contraria, sunt omnia, quae vi laxante gaudent, emolliente, et *saponacea*: cibus igitur non aegre solvendus, a duris laboribus cessatio, aër ad humidum vergens, balneum, vinum tenue, longior somnus contraria sunt idonea auxilia: vitium enim est, ut inquit HALLERUS, quod non solum ad elementa fibrae quatenus solidae pertinet, sed ad membranas, vasa, viscera, ligamenta, tendines, cartilagines, ossaque propagatur, a quo multiplici vitio vasorum oppilationes, perque *epigenesim* accretiones oriuntur. Haec curandi ratio eo vel magis proficua, ceu his contraria jure praesumi potest, quum in viris praecipue aetate, et virium robore pollen-

lentibus, qui se se dant immodice adstringentibus, spirituosis, exercitiis, corpus exsiccantibus, adhibetur. Atque hic loci praetereunda non est nimia fibrarum irritabilitas, quam suscitat quidquid contactu suo vim vitalem ad agendum ciet. Missis hac de re opinionibus, quas multi a priori deducere voluerunt (remedia enim huic compescendae idonea non ab ejus fontibus, sed ab iis, quae intus generantur, vel extrinsecus sunt, conjicimus), sufficiat nobis hanc definire tantam sensilitatem, ut levibus stimulis in magnos motus erumpat, quibus functionum aequabilitas turbatur. Multa sunt interna, vel externa, quae hanc possunt motus spontanei inducere mutationem, variam quidem pro varia aetate, sexu, temperamento, vitae genere, statu graviditatis, puerperii, idiosyncrasia, consuetudine: ex quo fit, ut idem stimulus varios homines, variasque partes afficiens dissimiles edat effectus, et quae caussa aliis est irritationi, alios intactos relinquat. Consensus huic augendae, propagandaeque irritationi non parum confert, quo una lacessita in communem contractionem trahit alteram: ab uteri stimulo universum fere corpus laeditur: plexus cardiacus stimulo punctus omnes turbat functiones, etc. Haec qui serio meditabitur, sibi facile persuadebit in hoc principio vitali naturae vires con-

sistere medicatrices, conservatrices, destruentesque, quamvis, ut jam innuimus, in summa hujus ignoratione versemur, aeque ac in obscuro attractionis leges, repulsionis, explosionis positae sint. An vis electrica? An vis pyrigenia, vel cryptopyria? An ignota alia hoc constituunt? Haec dies ut doceat optandum, standum interim est observationi, qua constat illos esse irritabiles, qui exquisita solidae compagis teneritate donantur una cum stricta fibrarum tensione, et molliore elatere, magna sensuum agilitate, facili ad acrem humorum tenuitatem, sanguinisque motus ex qualibet insolita re commotionem, aptitudine. Haec fibrarum conditio vel haereditaria, vel acquisita generatim otium poscit, quietem, longiorem somnum, minorem circulationis motum, fibrae mollitiem, quam affert laxantium usus, et humectantium, in quorum censum merito veniunt pulli, coxae vituli, dilutior oryzae, avenae, hordei cremor, fructus horaei, mollissima olera, malva, althaea, lactuca, lac, ejusque serum, victus vegetabilis. Omnes vitare oportet evacuationes a stimulo suscitatas, a climate calidiore cavendum est, lauto vitae genere, aut meticuloso regimine, potissimum si aetas junior fuerit, temperamentum mobile. At quum ex nimia irritabilitate effectus non pauci sobolescere possint natura dissimiles,

ut tremulae solidorum vibrationes, crispationes, tensiones, spasmi, convulsiones, e quibus iterum dolores emergunt, tum et anxietates, cavorum contractio, obstructio, inflammatio multiplex, circulationis, secretionis, excretionis, aliarumque functionum impedimenta sequuntur; hinc conveniens unicuique aptanda erit curatio, habito temporum et circumstantiarum examine. Ab his deducere quisque potest, cur anodyna sopiant, numquam absolvant curationem: cur evacuantia morbum intendant: attenuantia exasperent: acria, spirituosa, et volatilia in debilitato corpore motus spasmodicos accersant difficillime compescendos; cur tandem a martialibus, et cortice peruviano, etiamsi debilitas hujusmodi remedia suadeat, manum retrahere saepissime oportet. Qui unam semper esse naturam, hanc Medicum exposcere obsequentem, non imperantem, hanc vias, per quas ejiciat quod noxium est, sibi proprias definire, tot homines, tot esse temperamenta pro rato habeat, hic tuto, cito, et jucunde contrariis curabit. Porro hisce omnibus fretus, nondum assequi mihi datum esse profiteor Neotericorum de *stimulo*, et *contrastimulo* theoriam, quum remedia eo semper colliment, ut vires vitae debilitent, naturamque reddant obeundis functionibus imparem. Re enim vera, si horum pace in praecipua remedia more praesenti jussa, absque studio par-

tium introspiciamus, *opium, digitalem purpuream, hyoscyamum*, *aconitum*, *gummi-guttam*, *tartarum emeticum* etc., tum caetera hujus commatis stimulantia, narcotica, acria, et omnia quidem, quod caput est; exagerata dosi porrecta, speciosam potius, quam veram, methodicam, et rationalem medendi curam eadem sistere arbitrabimur. Duce sane experientia, penes omnes in confesso est, si de opio loquamur, temulento primum excitante modo, dein sopiente suam exercere vim, ita ut, si ejusdem protrahatur usus, millenis aerumnis, quibus finem imponit mors, sit occasioni. Ad stupefacientes quod spectat plantas, licet ab antiquitate venenorum classi adscriptae fuerint, harum tamen veneficam vim a processu vitali moderatam iri ultro concedam; sed si velint par pari referre, sopiendi facultatem admittent viribus vitae contrariam. Sive morbos acutos considerent, sive lentos, et chronicos, perquam raro *indirectis* seu, ut more nostro loquamur, *palliativis* auxiliis locus fit. Quid plura? In morbis quos mera nervorum *ataxia* fovet, ab his recedere oportet: novi homines neuralgia miserrime vexatos, qui per lustra, et annos in stupefacientium usu, et larga dosi insistentes, nedum utilitatem caeperunt, sed per intervalla tantas recrudescentiae poenas luebant, ut his valedicere debue-

rint; alios visere datum fuit in soporem, delirium etc., prolapsos. Neque hic loci digitalem purpuream a plurimis tamquam remedium directe contro-stimulans habitam praetermittemus. Rerum naturam, qui cupit a priori definire, saepissime hallucinatur: non ita ab effectibus. Porro phoenomena, quae vix deglutita gignit digitalis purpurea, huc ferme recidunt; pulsus nempe tardiores, virium languor, nausea, vertigines, similia; atque experimenta jamdudum in canibus capta eminentiori gradu haec exhibuere, morositatem, pulsus minimos, involuntarias dejectiones, convulsiones, interitum; hinc injuria non afficiemus Veteres, si plantam hanc veneficis adscripserint. At ni *toxicum* cum his hanc stirpem nominabimus; effusis attamen hujus hodiernis virtutibus nos credulos haud exhibere debere reputamus. Re namque vera nos latent insignes hujus effectus in morbis acutis, praecipue pectoris, in abnormibus cordis motubus, cunctisque morbis a nimio vasorum incitamento, et a diathesi *sthenica* natis. Si, ut Neoterici tradunt, incitamentum minuit, debilitatemque inducit, quonam pacto, quaeso, natura solvet impactum, et ad coctionem, et crises noxium disponet, ejiciet? Quid, si continuus stimulus vires pessumdabit? Stasibus pessimi ominis sternet viam. Praxim provoco quotidia-

nam, tum expertissimorum Clinicorum observationes, quae semper noxias in acutis pectoris morbis a phlogistica in primis diathesi ortis, evincunt copiosas evacuationes. Quae infortunia in morbis acutis a digitali proponimus, eadem in lentis, et chronicis morbis [illegible]mus. Hi morbi [illegible]thenica suam trahunt, ut Nuperi affirmant, originem, ut sanentur necessum est impactum solvere, acre demulcere, et vires potissimum cordis, vascularis, et arteriosi systematis erigere; at, quaeso, quonam pacto a debilitate, quam creat continuus stimulus, emergere haec poterunt? A Veteribus, et Recentioribus debilitantes digitalis effectus admittuntur; utrum autem in his morbis continuis irritamentis corpus in dies magis enervare expediat, aequis dijudicandum relinquimus. Haec si novae doctrinae fautoribus non faciunt satis, suppleat morborum asthenicorum consideratio. Neminem latet, detectam ab initio digitalem, miras a Medicis obtinuisse laudes in ciendis potissimum urinis; sed ab observationibus, et experientia didicerunt in cachecticis, hydropicis nedum inutilem, sed noxium sortiri exitum. Re namque vera, primis diebus propinata suam dirigit actionem ad vasa uropojetica, copiosam saepe movet urinam, at hujus perstat spissitudo; interea, si protrahatur usus, lotium supprimitur, accedunt vomitus

intolerabiles, vertigines, animi deliquia, pulsus *asphyxiae*, celerrimi interitus: tanta est acrium stupefacientium in nostro corpore potestas! Porro, si cautissime cum his mercandum est, me fugit illorum fidentia, qui *gummi-guttam*, *tartarum emeticum* inaudita dose, et brevissimo temporis spatio, nullo habito antecedentium, inhaerentium discrimine, propinant aegris, *deprimendi* scopo: profecto longe distat a compescendis, si nimii sunt, motubus, hic controstimulandi modus. Nemo nescit, ut scite notat Bartholomaeus Castelli, feras esse, a violenta medicamenti stimulantis operatione, pedissequas hypercatarses, et supravomitiones, quae universam invertunt oeconomiam animalem. Non semel data mihi fuit potestas observandi misellos aegrotantes capite veluti deleterio afflatu nutantes, cum oculis concavis, et visus hebetudine, plumbeo, et foedo faciei colore infectos, narium haemorrhagiae vix cohibendae obnoxios, una cum respiratione impedita, et saeva cardialgia, ita ut labiis haerens anima videretur. Sed in orbem redeundum.

III. Rigiditati opponitur nexus, seu tonus fibrae debilis, qui nedum continendis humoribus, sed diversimode movendis, dirigendis, mutandis congruere nequit, quumque a fibra debili flacciditas in partibus mollibus fiat, iner-

tia in elasticis, flexilitas in ossibus, in humoribus solutio, horum in cava corporis effusio, patet nocentes has potentias, illorum praesidiorum usu imminui, corrigique debere, quae ipsis contraria sunt. Debilitati, inertiae, et laxitati inducendis praebent occasionem aër et calidus, et humidus, habitatio in locis depressis, uliginosis, virium a morbo, aut nimia quiete deperditio, prava diathesis haereditaria, vel adventitia; curatio propterea illis tentanda erit auxiliis, quae contraria vi firmiorem conciliabunt fibris cohaerentiam, et robur, ut aër frigidus, et siccus, purus, elasticus, corporis exercitium primo ordinatum, auctum dein pro viribus, frictiones, cursus, vectio, ludi gymnastici, cibi eupepti, quadam pollentes vi calefaciendi; tum ea praesidia, quae specificae humorum indoli corrigendae propria usus probavit. Omnibus notissimum est, quanti hanc facerent Veteres medendi normam, qui, ut firmiorem flaccescenti fibrae compagem conciliarent, et aquam intercutem discuterent, nullum praesentius, et melius auxilium immersione corporis, praeter caput, in exsiccatam maris arenam dijudicabant. Haec nobis perspicuam faciunt ortam a profusis evacuationibus sanguinis, aliorumque humorum laxitatem: nobis aperiunt, cur pueri, sequiorque sexus minori virium robori magis obnoxii sint: cur

hoc adaugeant anodyna: cur quiescentes, et carceribus inclusi membrorum usum amittant: hinc tandem rationalem assequimur exitum remediorum, quae vi gaudent roborante, austera, adstringente, quorumque non parvam copiam suppeditant regna minerale, et vegetabile; neque spernenda sunt in horum delectu differentiae temperamentorum, morborumque complexiones.

IV. Hactenus de vitiis partium similarium, nunc de organicis, seu ut alii malunt, instrumentariis. Quum universa solida corporis compages continentium nomine comprehendatur, firmaeque partes sensubus obviae totidem sint instrumenta, seu organa, quorum singula inter se dissimilia, (vigente sanitate) numero, magnitudine, situ, nexu, continuitate praefinitis, suo, tuendae salutis caussa, aptantur muneri, evidens est, tot conspicuis, nec raris posse peccare vitiis, quot plus, minusve erunt harumce, contentorumque a sana corporis oeconomia recessus. Vitium ratione quantitatis partium plurium, paucarumque saepe fit, quum scilicet harum numerus ab ortu major est, ut in digitis, testibus, etc., contingit, vel hae postea sobolescunt, ut in dentibus, pilis, unguibus facile dignoscitur; haec si sanitatem laedunt, evellenda sunt, vel praesecanda. Ad vitium defectus referri queunt *excoriatio*, *mutilatio*, *at-*

tritus, nuditas. Excoriatio a multiplici caussa gignitur cum externa, tum interna, acri, deterente, corrodente, et ob moram ad *colliquationem*, vel *necrosim* prona; his pro re nata remedio erunt mucilaginosa, mollia, pinguia, lenissime adstringentia, et antiseptica, caute admissus aëris contactus. Ut ex magnae partis mutilatione necessario succedit aucta in aliis partibus sanguinis copia; ita sana videtur praxis, quae huic plethorae curativa methodo, et prophylactica, nec non aequo regimine prospicit. Non raro ab attritu nascitur excoriatio: frictiones, nimia exercitia, ambulatio, equitatio, validior motus muscularis, sclaptura id palam quotidie faciunt. Phaenomena ex levi attritu ad aliquot tempus protracto, sunt partis calor, rubor, tumor, durities: ex validiore excoriatio, dolor cum ardore, inflammatione, cutis exsudatio, aquosae vesiculae, crustae, eschara; quae pingui, oleoso, molli, mucilaginoso scatent principio, idonea commendantur sub forma cataplasmatis, fotus, inunctionis adhibita: tegendae sunt crustae cera, oleo, et aqua mixta, lenibusque abstergentibus *escharae* separatio promovenda. Memoratis organicis morbis addenda est *dilatatio*, quum scilicet parietes cavi spatium justo capacius circumscribunt; hanc gignere possunt quaecumque contentos humores in latera cavi,

aut sinus, vel receptaculi urgent adeo, ut contranitentes horum parietes morbose distendantur. Congesta uberior moles, rarefactio, interceptus humorum fluxus, aut vehementior, imminutum parietum robur, vel dempta externa fulcra frequentiores sunt hujus dilatationis causae. Altera dilatationis species est *anastomosis*, ostii nempe venae, aut arteriae laxatio, quae utili sanguinis exitui praebet occasionem, ut evincunt menses in foeminis, sanguis e naribus stillans in pueris, adolescentibus, periodicus haemorrhoidum fluxus: aut noxio, quum e pulmonibus, ventriculo erumpit. Tertia dilatationis species *diapedesim* constituit, quum fibrae membranas cavorum contexentes distractae a se mutuo recedunt, perque latiora absque disruptione interstitia contenti liquidi exitum sudoris instar permittunt. Dilatationis conditiones, quas initio protulimus, pro majore, vel minore, quo sunt gradu, multiplicis vitii caussam esse nemo non videt. Quod si eo pervenerit dilatatio, ut cavorum parietes, marginesque ostiolorum, veluti perfossi dividantur, *diaeresim* audit, quam caussa externa, seu vis mechanica pungens, secans, lacerans, contundens, vel interna ab acribus erosio facta gignere solent. In horum therapaeja cunctandum non est, sed illico, et sedulitate occurrendum, ne dilatatio progrediens tandem

in continui solutionem transeat, incerti, et non raro pessimi ominis. Porro quum haec vitia a solidorum laxitate fiant, hujus origo quaerenda est, num a copia sanguinis, aut indole ipsius morbosa, vel ex simplici virium defectu, aut profusis evacuationibus, puta alvi fluxu, diabete, haemorrhagiis, etc., vel alimenti defectu, vel inertia, tenacitatè humorum, aut tono fibrae debili, vel a multiplici acri principio suam trahat originem. De recta his singulis medendi ratione nos edocere debet sedula aetatis, victus, vivendique regiminis, coeli, temperamenti, naturalium, artificialium evacuationum, tum humorum diathesis, ac pulsuum consideratio. Generatim affirmabimus, quoties de vi solidorum imminuta quaestio est, lenia aromatica cum adstringentibus, et roborantibus prudenter mixta prospere succedere, tum ea quae, ne crambem repetamus, lex contrariorum suadet.

V. Dilatationi, seu laxitati oppositae laesiones organicae a Practicis notantur multae: obstructio, compressio, obstipatio, collapsus, contractio. Ab omnibus differt *obstructio*, quum a materie potius contenta, quam a cavi parietibus foveatur. Multigena esse potest hujusce morbi caussa, inquilini scilicet humores justo tenaciores, degeneres, pingues, amurcosi, grumosi, phlogistici, purulenti, aut aliena corpora,

calculus, vermes cavis, aut orificiis canalium impacta, quandoque partis intussusceptio. *Obstipatio* a sola canalis angustatione, vel ab aequabili parietum crassitie fit, vel ab aspera interna superficie imminuta: tumores varii generis, sarcomata id saepe creant. *Compressio* est successiva parietum cavi ad perfectam occlusionem progressio, quam a tumoribus sensim auctis, a continuis ponderibus, a ligaturis, a potentiis contorquentibus, contundentibus repetunt Practici. His morbis contrariorum lege obviam eundum est *saponaceis*, aperientibus, emollientibus, humectantibus externis, internisque, et comprimentium remotione. Utinam omnes utriusque sexus sanitati pro formoso corporis habitu studentes, scirent tot ligaturis, cingulis, vestimentis arctioribus, machinis ferreis, aliisve, quae mutabilis praesentis temporis consuetudo quotidie profert, valedicere. Collapsum ab inanitione natum reparant cibi eupepti, cardiaca, inter quae vinum meracum, et omnia, quae facillima concoctu sunt, procul sepositis nimium spirituosis, et concitantibus. Postremum vitium *contractio* est, quae frequentissima non parum negotii creat aegris, et Medicis. Multae sunt insitae corporis vires, quae accedente caussa occasionali hanc suscitant contractionem multiplici persona miserrime divexantem. In praesens ab innu-

meris enarrandis malis, quae ex hoc fonte nata corporis oeconomiam mille modis perturbant, et ab apposita curandi methodo, abstinebimus, de quibus alias, si vires, et otium Deus dabit, in tractatu morborum particularium, nobis propositum est. Vitiis organicis finem imponent illa, quae sola magnitudine, seu quantitate, vel defectu quandoque morbi nomen merentur, alias turpitudini tantum, vel deformitati adscribuntur. Caussae hujus magnitudinis sunt justo copiosior ad partem humoris affluxus, trajectus difficilior, nutrimenti accumulatio, quandoque ab ortu singularis dispositio, uti sunt caput enormiter magnum, praelongus nasus, labiorum, crurum turpis crassities, quae omnia, quum a simplici augmento in una solum parte, non in universo corpore fiant, et inter latitudinem sanitatis oeconomiae legibus non adversentur, *deformitates*, seu *turpitudines* nominantur. Ex his defectus vitium infertur, uti sunt pusilla ab ortu membra incolumi sanitate. At si de quantitate loquamur, raro exsuperantia inter morbos censenda est; nemo enim a sexto digito, tertio testiculo sanitatem laesam affirmabit: non ita a tribus, quatuorque digitis, quum hi aliorum vices fungi non possint.

VI. Ad alia nunc progrediamur, quae maturiore indigent consilio, et plurima in curando

sedulitate, nempe tumores, quorum natura magis complexa est; solidae namque, fluidaeque partes vitiatae non solum adaugentur volumine, sed motus partium p[illegible]orum, cavi, et fibrarum in[illegible]pedines, aliasque sensibiles qualitates praeter naturam immutant. Hujusce census tumores sunt *phlegmonosi*, *oedematosi*, *melliceri-des*, *scirrhosi*, *steatomatosi*, et qui *atheromata* dicuntur, quorum nomen, ac naturam a praecipuo humore, hujusque vario cohaesionis gradu deducunt Pathologi, nempe a sanguine, lympha, vel fluido mellis, cerae, pulmenti crassioris firmitatem aemulante. Ad hanc tumorum classem referunt quoque Practici *hypersarcosim*, seu tumorem carnosum, et *exostosim*, seu ossis excrescentiam. Jam vero, dum haec trado, quosdam audio, qui mihi in alienam provinciam ingressum objiciunt; his meo nomine respondebit inprimis gravissimus De-Gorter inquiens (in praefat. chirurg. repurg.): *datum medicamentum sua virtute agere in partibus interioribus, vix quidquam in externis praestare, quum tamen utraeque ex eodem fonte hauriant humores, omnesque communem agant vitam: hoc tamen interest, quod ad externos morbos topica plus valeant, quam ad internos: indicationes autem curativae in simili morbo eadem sunt, sive interne lateat, sive*

externe haereat morbus... Qui igitur latentem morbum cognoscere satagit, eum oportet bene prius perspectos habere similes morbos externos, in quibus ad oculum non solum patent cognitionis criteria, sed et omnes mutationes evidentes sunt, et melius cognoscitur, quaenam medendi methodus prae caeteris plus valeat ad medendum. Summa itaque injuria mihi videtur hanc partem Chirurgo soli traditam a medicina avulsam esse, quum hujus defectu scientia medica plus damni patiatur, quam si omnibus reliquis auxiliatricibus partibus esset mutilata. Dein subdit: *anatomica sectio sedulo rimatur omnia corporis latibula, partium figuram, colorem, et cursum ad oculum demonstrat in cadaveribus, quum corpora viventia hominum secare sit piaculum; optime ergo valet ad detegenda loca affecta, sed qualis fuerit morbi caussa, ut plurimum latet, cujus tamen cognitio specialem exigit curationem, dum locus diversus non multum mutat curationis indicationem. Morborum autem externorum solida scientia cum quadam rudi duntaxat anatomica cognitione qualem Veteres possederunt, multo plura vitae, et sanitati confert, quum non solum cognitionem morbi in viventibus, verum etiam eorum curationes sistat. Cui hoc videtur paradoxum, compa-*

ret modo Hippocratem *nostrum in arte medendi cum hodiernis anatomicis; is enim nullibi subtilitatem anatomicam crepat, sed candide, quae in morbis detexit memoriae tradidit, et in chirurgicis fuit expertissimus* ...... Et paullo post: *hoc si quis negat,* Hippocratem, Celsum, Galenum, *et multos alios artis principes inscitiae arguit, ex quibus tamen ad hoc usque tempus scientiae medicae fundamenta petuntur.* Re quidem vera, ingenue fateor, me fugere caussam, quae multos a consentione medicum inter, et chirurgum necessaria, quoties agitur de morbo externo, removent, quum curanti nil carius esse debeat propria existimatione, et aegri emolumento. Quum horumce implexorum morborum multiplices esse possint caussae, harum notio sedulitatem poscit, ne manca, quantum fieri potest, evadat ars medendi rationalis. Generatim tumores vim cohaesionis in humoribus morbosam, vitium partium similarium, et vitiatam utrarumque qualitatem indicant. De vitiis partium similarium actum est, nunc in vitia cohaesionis partium fluidarum, harumque alienatam indolem animadvertemus. Ad primum quod attinet fluiditatis conditiones in examen vocandae sunt. Palam est omnibus, multa esse quae defectu, vel excessu peccantia, sive analysi scruteris

elementa, ut inquit HALLERUS, fluida componentia, sive ab experientia mutues argumenta, debitam humorum fluiditatem tuentur, pervertuntve. Humorum pars fluida aqua est, altera solidescens terra una cum mucoso principio, inflammabile, salso, aut, si vocabulis, quae Recentiores in medium protulere, uti velimus, aqua, terra cum mucoso principio, calorico, oleo volatili animali, et muriati sodae participe. Ab his facilis est illatio morborum, qui ex perversa particularum mixtione fluidum componentium multiplices oriri possunt: hinc fit, ut eo tenacius inter sese cohaereant humores, quo major erit aquae defectus: huic propterea vitio occasionem dabunt potus parcior, auctae praetermodum lymphaticae excretiones, calor, motusque humidum dissipantes, quae omnia legitimam, aequabilem fluidarum, et solidescentium proportionem turbant, demuntque. Quod si pars humorum mucosa crassior evadat, copiosiorque, et blanda sua mixtione fluorem lubricum non reddat, gluten enascitur iners, bibulum: huic cohaesionis speciei favent alimenta glutinosa, cruditates, languidus humorum circuitus, otium, frigus, nulla mucosi excrementi evacuatio. Postremus cohaerentiae gradus est, quum crassamento parti majori consistentiae, quae terra est, aquae defectus ac-

cedit: cohaesio haec pessima est, et varia pro vario terrae cum principio salso, vel phlogistico connubio. In hoc si salsum excedat, multo minor est aquae fluxilitas: si pingue, piceos, amurcosos gignit humores vasorum parietibus veluti conglutinatos. Quae dura sunt, sicca, austera, stiptica, coagulantia, stupefacientia, pinguia, farinacea, non fermentata cibo, potu, medicamento ingesta, eo vel magis, si his commisceantur, quae promovendo aquae defectu idonea superius exposuimus, hanc pessimam indolem humoribus conciliant. Hinc generales a Practicis passim notatos spissitudinis effectus facile est perspicere: praecipui sunt tardus humorum circuitus, stases ubique, obstructio, infarctus, secretionum, excretionumque defectus, et multiplices tumores. Alterum cohaerentiae vitium ab excessu fluiditatis enascitur, quae non minores vi, et numero creat aegritudines. Multiplex est hujus differentia. Prima est aquosa, quum aquae scilicet excessus solidioris massae partem solvit, ubique sese diffundit, omnia inundat, cohaesione vix superstite: hanc provehere solent externus, internusque aquosorum maxime callentium abusus, vita in aëre humido iners, otiosa, solidorum elastica potentia debillima, profusae evacuationes, quae languidum post se trahunt cordis, arteriarumque motum,

defectum nativi caloris, evanidam aquosi principii excretionem, enervatam solidorum contractilitatem, tumores frigidos universales, omniumque membrorum torporem. Verumtamen pejoris ominis est vitium cohaesionis, quum tenuissimi humores a naturali blanditie recedentes acredinem contrahunt; perdifficile namque acor ita evolutus, ac bibulus, bonae crasis renovationem sperare sinit. Promota ab hac caussa humorum solutio sani faciem vestit, et fere semper est discriminis plena; caussae enim vel clanculum fiunt in corpore, vel ingeruntur, quandoque evacuandae retinentur. Ob id facta est a Practicis divisio in caussas latentes, manifestas, inque illas, quae a spontanea corporis actione suscitantur. Nemo nescit quantam suppeditet copiam triplex regnum animale, vegetabile, et minerale: neque latet, quam facile acredini pateat iter per os, trachaeam, et cutim, et quamdiu humoribus commixta silere possit, ni caussa accedens *procathartica* illam evolvat. Hujusce acredinis vires acuunt nimium celer, vel tardus humorum circuitus, excretionum naturalium, et inter has praecipue quae fiunt per cutim, turbatio, interceptio, fluxus humoris ab ulcere manantis evanidus, somnus, aut vigilia modum excedentes, adurens ignis, horridaeque frigoris, aut caloris vicissitudines. Qua de re acre generice

spectatum eo pollere genio videtur, qui nostris humoribus sociatus horum crasim funditus evertit, solvit, solida lacerat, rodit, destruit, membra dolore torquet, atque haec contactu suo juxta vitalis vis, qua donantur, gradum ad contractionem incitat. Nemo proinde mirabitur, cur tanta humoris acris effluere possit copia, etsi nil evidenter ingestum sit, dummodo ad per se natam acritatem mentem convertere velit, quam luxus in culinas continuo inducit, ad inevitabile cum rebus externis commercium, ad corpus non raro necessaria alimonia aut refectum, aut orbatum, ad caussas partem aquosam dissipantes, cujus defectu, quod mite est, acorem contrahit, ad exercitia immoderata, demum ad pravas alimentorum digestiones, et incongruas secretiones, excretionesque, vel evacuandorum retentionem. Haec nos monitos faciunt de aerumnarum discrimine juxta humorum infectionem multigeno: sic infectus enim acore succus obliniendis internis arteriarum parietibus assignatus, febri ardenti, aut particularibus inflammationibus viam sternit, ab hoc vitiatus succus nervosus anomalam gignit nervorum *ataxiam*, dolores versatiles, proteiformia capitis, sensuum externorum mala, acutas, spasmodicas, flatulentas affectiones pectoris, imi ventris, multiplicem alvi fluxum, turbas, doloresque in or-

ganis urinae dicatis, verbo in universas corporis partes celerrimo, et mutabili more ita saevit, ut peritissimorum ingenia torqueat. Quid plura? Singulari modo quandoque fibras nervosas ita adoritur, ut, adaucta vi vitali, a propria sede morbos haereditarios, aut connatos velocissime submoveat, et ad viscera vitalia hos ferat summo cum aegri periculo; non raro, erosis canalibus, *ecchymoses* suscitat, profusas evacuationes, aut constrictis mortiferas stases, ulcera, cariem, emaciationem, aliasque deterrimas oeconomiae laesiones. Haec de communibus acredinis effectibus; at sunt alii, quorum caussam, et efficaciam a praecipua, qua donantur indole, substantia, nocendique modo, metiri fas est; caussa namque proxima vel ad *acerbum* spectat, vel *acre alcalescens*, quandoque ad *putridum*, aut *muriaticum*, quae a propriis designantur phoenomenis. Acerbi vis infensissima primis viis est, et sanguinem subeuns pallorem, frigus, solidorum laxitatem, defectum nutritionis inducit: diuturnus acidorum, vel acescentium usus hoc gignit: ad ipsum disponunt totius corporis, et praecipue ventriculi debilitas, otium, inertes humores salivales, mala bilis elaboratio. Vegetabilia acri sale, saccharo, aromatibus calidis, salibus lixivialibus nimium condita palati gratia, alkalescentem indolem humoribus conciliant, a

qua tristissima oriuntur infortunia. Tandem non minores poenas luunt, qui sale muriatico abutuntur; hos enim primo urens continuus calor cum intenso genarum rubore angit, et etiam pruritus, gingivarum erosio, oris foetor, carnium veluti colliquatio accedunt, dein in sphacelo consumpti ad plures migrant. De acri scorbutico, venereo, scrophuloso alia erit dicendi occasio.

VII. His adumbratis scitu pernecessariis, qua therapeja generali recensitis tumoribus, variisque acredinis speciebus occurrendum sit, considerabimus. Tumor *phlegmonodes* illam significat humorum cohaesionem, quae majori ut plurimum calore, et motu increscit, et *diathesis phlogistica*, seu *inflammatoria* nominatur. Corporis incalescentia, siccitas, pulsus durus, frequens, symptomata huic morbo familiaria vim vitalem arguunt vehementiorem: huic propterea corrigendae, et resolvendae studendum est, ne cunctatio mutationibus natura deterioribus locum faciat. Quae intus, et extus laxant solida, nimium compescunt humorum circuitum, impetumque a tergo urgentem, et copiam moderantur, praesentissima remedia sunt. Inter haec primum est venae sectio juxta signa, et inhaerentia cito repetenda: cito inquam, cunctatio namque progressivae stasi favet, maturiorem-

que accersere potest suppurationem: dein quae minuendae copiae apta sunt, et motum continere valent, ac refrigerant, laudantur a Practicis: cassiae nempe, ac tamarindorum pulpa, procul sepositis actuosis purgantibus drasticis, cremor tartari, diluentes, aperientes pthysanae, nitratae, tepidiusculae. Inter aperientia, et temperantia plurimi facienda sunt subacida, succus ex gramine, ex endivia, acetosa recenter expressus. Haec mehercle neque primum inflammationis exitum, qui *resolutio* est, turbabunt, neque impedimento erunt pedissequis crisibus per sudorem, urinam, aut alvum, vel si in suppurationem abierit, haec melioris erit notae, et maturantibus, quo natura vergit, eo facilius, et tutius ducetur; periculum enim quandoque subest *metastasis* ad viscera vitalia, praecipitis obitus, aut lenti morbi caussa. Haec, quae debili vi vitae fiunt epiphenomena, Medicum docent de pessimo repercutientium usu, de remediis drasticis, et calidis stimulantibus, deque cauta, et exacta medendi methodo, quam postulant rerum circumstantiae. A *phlegmonode* tumor differt *oedematosus*, cujus nomine intelligitur humor aquosus, seu serosus, *phlegmaticus* sensim in quacumque corporis parte collectus, frigidus, pallidus, indolens (cui tensio, aut quidpiam acre sociatur), tenax foveae a

comprimente digito factae: gravitate differt ab *empneumatosi*, colore ab *emphysemate*, indolentia, et pallore a *phlegmone*, duritie a *scirrho*, et *strumis*. Frequentior hujus sedes est in corporis extremitatibus, palpebrisque; si capitis integumenta obsideat, aut panniculum carnosum *hydrocephalus externus* dicitur, *internus*, si inter cranium, cerebrique membranas, vel inter has, et cerebrum, vel in hujus ventriculis colligatur, cujus signum *pathognomicum* constituunt palpebrarum, et oculorum tumor, sensuum hebetudo, copiosiores lacrymae, somnolentia, erecto corpore vertigo, aurium tinnitus, vomitus pituitae; morbus hic *puerulis*, ut inquit Castellus, *maxime familiaris est, quando ab obstetrice in puerperio caput illorum rudius contrectatur, et comprimitur*. Si in faucium membrana, uvula, tonsillis, glandulisque lymphaticis humor congeritur, et spiritum, deglutitionem quodammodo intercipit, *angina serosa* vocatur: *bronchocele*, si partes occupat anteriores tracheae, aut glandulam tyroideam. In orbem redeuntes hi tumores si pressioni difficilius cedant, tardiusque impressas foveas dimittant, viscidioris lymphae argumentum sunt. Caussae numero multae esse possunt, laxitas, seu *atonia* partis, lymphae viscidioris copia, interceptus a pressione, infarctu circuitus, prava

digestio, vis vitae debilis, devexus corporis positus, profusae sanguinis evacuationes, consuetarum per haemorrhoides, uterum suppressio, urinae parcitas, ingurgitatio aquae, abusus calidorum, spirituosorum. Igitur quum dubitari nequeat de inertia in omni oedemate, partis laxitate, motu debili, impedito lymphae circuitu, prima, et generalis indicatio ex contrariorum lege eruenda est, quae nos edocet de internis, externisque remediis discutientibus, roborantibus, penetrantibus, nec non iis, quae ad urinae vias potissimum, aut cutem nimiam lympham dirigere valent: altera ex caussis particularibus deducenda est; si namque abdominis viscera infarctu laborare deprehendas materiei crassioris, humorisque phlegmatici copia, purgantibus *hydragogis* caute adhibitis, et pro re nata iteratis tentanda est evacuatio: si a suppressis naturalibus sanguinis evacuationibus oriatur perturbatio, officium erit Medici probe internoscere, an a lunae phasi, cui persaepe respondent, vi naturae commota, sperari possit amissi inter solida, et fluida aequilibrii revocatio, an expediat per loca convenientia defectui supplere: selectum, et efficaciam remediorum caussae morbi, hujus conjuncta, functionum conditio, pulsus, aetas, temperamentum, *idiosyncrasia* significabunt. Quandoque

caussa oedematis tenacitati lymphae, quam *albam* vocant, adscribitur: hujus emendationi intus, praesidia erunt idonea, quae solvendi, discutiendi, inque circuitum remittendi vi pollebunt, ut purgantia *phlegmagoga*, aut vomitum cientia. Oedemati a pressione, aut a situ partis jacturam faciente oborto, auxilio erunt illa, quae si prorsus removere nequeunt pressionem, saltem moderate fulciunt, variantque positum. Saepe fit, ut tumor duritiem acquirat ad annos persistentem, doloris vacuam, qui dein sensim increscens, durus evadit, asper, glandulosus, solutionem difficillime admittens, *scirrhus* ille, hic *cancer occultus* audit; qui postremus sponte, vel aliter exasperatus putrescit, inque sordidum, foetidumque ulcus, raro in suppurationem degenerat, et *cancer manifestus* nominatur; utraque sane commiseranda conditio, quum nullis fere auxiliis a sagacioribus inventis auscultent hi morbi, unaque, et saepe fallax spes elucescat, si extus impugnari possint. Glandulis saepe insidet scirrhus: at aliis non parcit partibus, frequentius utero, mammis, axillis, hepati, inguinibus, etc. infensus est. Caussam hujus materialem refundunt Practici in humorem acrem, tenacem, pinguedineum, corruptum, qui ex diutina mora in saniosam indolem degenerans, carcinomata gignit, ulcera vi-

delicet quae nunc tarde, nunc ocyus propagantur, carnes in fundo ad instar spongiae luxuriantes exhibent, margines versicolores, visu horridos, viciniores partes confodiunt, vasa invertunt, ita ut ab erosione emergant haemorrhagiae, nulla ut plurimum arte sistendae. Exemplo sit *ulcus tibiarum phagaedenicum*, quod *lupi* nomine indigitant, ex voracitate, qua contiguas partes depascitur. Morbi saevitiem comitatur febris lenta, quam excipiunt marasmus, vel hydrops, et tanta dolorum atrocitas, ut miselli aegrotantes ultimam rerum lineam expectatissimam efflagitent. Porro habita dolorum, ac tumoris phlegmonoidei ratione, prima fronte conducibilia videntur illa, quae diluendi, temperandi vi pollent, aut incidendi, resolvendique per cutim, tum lac, ejusque serum, pthysanae sedantes, quandoque in summa saevitiae dolorum narcotica. Sunt qui proponunt absorbentia, aquas minerales tum frigidas, tum thermales, neque cautum proscribunt lenium catharticorum usum, in progressu leves frictiones, blanda exstimulantia, et aromatica. Verumtamen, teste experientia, morbi genio nedum haec omnia idonea sunt, sed futilia, quin immo noxia; laxantia namque, et emollientia duram materiem reddunt fluidiorem, proinde carnem adinstar fungi luxuriantem promovent. Quid autem

a frictionibus, exstimulantibus, aromaticis sperandum erit? Sane ex his conjicere licet satius esse curae supersedere, eo vel magis, si cachexia, aliove morbo implicetur morbus, et jam altas radices egerit scirrhus. Ne tamen aeger ad desperationem adigatur, et honesta medentis cura detrimentum capiat, ea semper tentanda sunt, quae a sanioribus traduntur. Tres sunt therapejae fontes, *resolutio*, *ablatio*, *mitigatio*; sed quamcumque ineant Medici, et Chirurgi medendi viam, prae oculis continuo habeant HIPPOCRATIS monitum, inquientis: *quibus occulti cancri oriuntur, illos non curare praestat; curati enim citius pereunt: non curati vero multum tempus perdurant* (aph. 38, s. VI.). Quum igitur recens est tumor, et non omnem occupat substantiae glandulam, atque ex colore, calore, duritie, pruritus, et doloris absentia conjectari licet profundas nondum misisse radices, spem aliquam faciunt cum interna, tum externa blanda saponacea, resolventia, praecipue diaeta lactea, nec non opportune adhibita lenia purgantia: a quibusdam commendatur ignis, ceu vitandae suppurationi conveniens, qui tamen, utpote fugax remedium, expungitur a cl. DE-GORTER. Tutiora hunc ad finem videntur aquae tepidae, acescentis vapor, aut fotus, emplastra ex gum-

mi-ferulaceis, ammoniaco, sagapeno peracta, vel pultacea saponis veneti in lacte solutio. Verumtamen unanimis cautiorum opinio est, ut his omnibus acetum intus, et extus multa aqua dilutum, vel cum memoratis exterius commixtum anteponendum esse videatur, tamquam *antisepticum*, quod si non prodest, saltem non nocet. Quod de mercurio, quem multi herculeum in hoc morbo remedium depraedicant, affirmari nequit; hujus namque vi nimium concitato humorum motu cuncta exasperantur, acuitur acre, et praematuram accersit indolem cancrosam. Persaepe usuvenit, ut e cura ad menses protracta nulla obtineatur scirrhi imminutio, quin immo in dies mollitie crescens in carcinoma facessat: hoc in casu prudentis, et periti Viri est, ablationem meditari, sed *hoc opus, hic labor*; multa enim consideranda sunt, et praevidenda, locus, situs partis, tumoris natura, peculiaris constitutio: perpendere quoque oportet, an magnis vasis adhaereat, aut principi alteri parti insideat, an mobilis sit, et cedens, ita ut undequaque una cum integumentis totus ab artifice arripi, detrahique possit: tandem attentionem sibi vindicant *diatheses*, siquae sunt, *venerea*, *scorbutica*, *scrophulosa*, etc. Quoties fausto operationis exitui inflictum vulnus succedit nulla arte vincendum,

et citius vitae filum miserrime abrumpit? Ex praehabitis, quum resolutio perquam difficilis sit, exstirpatio periculi plena, superest methodus *palliativa*. In hac cane pejus, et angue vitanda sunt quaecumque molliunt integumenta, uti sunt *emollientia*, aut suppurationem cientia. Princeps auxilium est victus blandus ex mollissimis oleribus, jusculum carnium recentium vegetabilibus *subamaris*, *subacidis* medicatum; pro potu lac seligatur aqua dilutum, tenuis cerevisia, decoctum avenae, oryzae, herbarum aperientium etc.: procul sint calefacientia, pellentia: pruritus, et doloris vehementia sedentur internis, externisque prudenter adhibitis *anodynis*: incipienti inflammationi *plumbatis* caute occurratur, ex. gr., aceto lythargyrii, unguento nutrito, emplastro dyaponphalico, similibusque, habita semper cachexiae, siquae est particularis, ratione: ab attritu vestium tumorem muniat lenissima aluta. Sunt alii tumores, qui licet generico titulo *folliculosi* dicantur, a varia tamen materie varia obtinent nomina, uti superius dictum est, nempe *atheroma*, *steatoma*, *melicerides*, ab illis dissimiles, qui ex dorso, brachiis, aliisque partibus ad ingentem molem pedunculo suspensi, *nata*, *napta* vocantur. Primi, quos quaedam membranosa tunica coërcet, et ab humore magis, minusve spisso suam trahunt

originem, quamdiu recentes sunt, et exigui, lenes frictiones, externa resolventia utilia sunt. Horum si spem eludant, penes artis magistros probatum est, tensam supra tumorem proscindere cutem, omnemque tumorem cum *membranosa* ampulla enucleare, dein cavum ad radicem usque corrodere caustico, reliquum, uti ulcus, curare. Haec vitia, quum ab humoris tenacitate in filamenta ductilia gignantur, caussas oportet investigare, quae glutini, et hujus congestioni favere queunt: dein congruis remediis therapejam instituere. Generatim cruda, farinacea, austera, immatura vegetabilia, mala chylificatio, vasorum, et viscerum debilitas, inertia bilis, imminutus motus animalis, crassorum excernendorum retentio ad gluten praedisponere, probat illorum exemplum, qui hisce cibis diu pasti elatum habent abdomen, vultum pallidum, subtumidum, languidum corpus, nec non febres autumnales periodicae, quarum caussa proxima de Veterum mente, et Neotericorum, confirmante experientia, a bilis inertia, et glutinosa humorum indole fovetur. Cur saepe fallit medentium expectationem china-china? Cur amara, solventia, et quae *saponacea* dicuntur, bilis vice fungentia huic palmam praeripiunt? Ab hisce caussis corpus enervari, tenaciora evadere fluida, verbo, oeconomiam perverti

consequens est; haecque phaenomena sunt, quae passim a Practicis notantur ab impedito cutis halitu, a parciore urina, et bilis inertia. Haec nos monitos faciunt, de necessaria *contrariorum* juxta praeceptum investigatione, ut tuto, et cito morbo occurratur; propterea his in casibus, quae perspirationi favent, ac diluunt, quae aperienti vi gaudent, amara, *saponacea*, eo vel magis si bilis defectus potior sit glutinis caussa, idonea sunt remedia. His addenda sunt illa, quae coctu facilia sunt, et pauxillo salis, atque aromatum condita ventriculum titillant, hujusque vires depressas erigunt, procul sepositis pinguibus substantiis, nec non potu, quae proprio spiritu humorum densitatem adaugent: corpus desidia non torpeat, neque pro re nata contemnat Clinicus frictiones, ac balneum ex herbis aromaticis paratum. Sed *cavendum est*, ut ait BOERHAAVIUS, *religiose*, *ne perturbetur glutinosum beneficium naturale.* Vitia partium organicarum a morbosa humorum intra vasa, vel fibrarum intercapedines congestione oborta claudat consideratio massae fungosae, rubrae in fundo ulceris, vel ad margines excrescens, vix tactu dolens, sed facile sanguinem fundens, in ossium carie luxurians, et unguium ulceris comes fere perpetuus, id est *hypersarcosis.* Caussam hujus proximam in motus spontaneos

vasorum fulcra disrumpentes refundunt saniores Practici, non raro in medentium inscitiam, qui cujuslibet vulneris, ulcerisve therapejam promiscue suscipiunt pinguibus remediis, mollibus, humidisque, adductionem laudant, nec non internum, externumque mediocrium roborantium, adstringentium usum, hisce irritis, fortiora proponunt, et si opus, *cathaeretica*, tandem si haec, et numquam oblita compressio voto non respondeant, quin immo ad ingentem excrescat molem excrescentia nullimode compescenda, ad ablationem confugiendum esse suadent. Ab humido pars cautissime protegatur, diaetam quod attinet ea seligatur, qua laudabilis chylus sanguini affundatur: ab hac enim, non a remediorum farragine sperari juvat consolidatio. Hic tumor *carnosus* pro varia indole, figura, magnitudine, sede variis insignitur nominibus, *sarcomatis*, *polypi*, *excrescentiae verrucosae*, *porri*, *verrucae pensilis*, seu *acrochordonis*, *myrmeciae*, etc. Cum enarratis affinitas, et optimorum Auctorum lectio diffusiorem praebebunt aethiologiae, et indicationum notionem.

VIII. Hactenus de vitiis partium organicarum a morbosa humorum intra vasa, fibrarumque intercapedines congestione ortis dictum est: de vitiis in praesens breviter agemus, quibus mu-

tata fibrae substantia, vel mutatus partium situs dat occasionem. Vitia fiunt ab *elongatione fibrarum*, *adductione*, *compressione*, *amplitudine*, *angustia*, *obstructione*, *ossificatione*, *densitate*, *raritate*, *crassitie*, *tenuitate*. Elongari dicuntur solida, quum ipsorum fibrae a validiore caussa vim contractilem amittunt, quin disrupantur: extendi vero, si cum renixu elongationem patiantur. Neminem latet binas caussas contraria directione in utraque partis extrema, vel immotis extremitatibus transversim in unam tantum vi agentes elongationem progignere: haec palam faciunt modum, quo a privatione externi sustentaculi, vel ab aucto interno humorum in vasa, aut alia corporis cava impetu hoc vitium inducitur absque dolore, qui ob retentam in extensione contractilitatem plurimum vexat. Ob id tumores cum extensione laxantia poscunt: roborantia, et exstimulantia illi, qui a sola fiunt elongatione; inter primos sunt inflammatorii, aut quos fovet irritans humor, vel spasmus: inter secundos oedematosi. Remedia contractilitatem minuentia, nimium humorum motum sedantia, uti nitrosa, diluentia, sanguinis eductio, subacida, *eccoprotica* purgantia, antiphlogistica, fotus tepidiusculi primis medentur: aliis, quae fibram in contractionem adducere possunt, laxitatem emendare,

motum humorum excitare, puta stimulantia interna, et extus roborantia plurimae sunt utilitatis. Elongationi opponitur adductio, quae in minori extremorum partis firmae distantia posita est. Quum vis morbosa in fibrae longitudinem transversim agit, et vasorum latera, vel cavorum opposita ad mutuum fere contactum premit, *compressio* nominatur. Utrique vitio esse possunt occasioni inter caussas externas ligaturae, pondera imposita, situs corporis: interne gigni queunt ab ossium fractura, horum fragmentis, excrescentiis multiplicibus, corporibus extraneis, calculis, a vitiis excessus superius descriptis partium organicarum, ab inaequabili humorum per vasa distributione, aut sanguinis in arteriis, venis rubris, vel lymphaticis *stasi*. Praesidia, quae fibrae adductionem redintegrant, si urgeantur, rigiditatem inferre possunt; hinc cur membrum diu flexum immobile fit. Quapropter contractilitatem minuentia religiose usurpanda sunt: fotus emollientes, balnea, interna humectantia utilia existimantur. Compressionis caussae apprime perpendendae sunt, an validae, vel leves, an in robusto corpore, aut debili obtineant, an generalis, aut peculiaris compressio sit, ut cum ratione iniri possit curatio; modo namque humorum copia minuenda est: modo augenda vis vitae: alias praecipuae tantum parti prospicere expedit,

aut discutientibus, vel roborantibus, aut illis, quae a peculiari caussa exiguntur. Ab hoc infortunio caveant, ut alibi monitum est, et repetere juvat, mulieres, viris effeminati, qui arctissimis cingulis, vestibus corpus miserrime torquent. Quot ex hac caussa, dum pulchritudini student, partium deformitatem sibi accersunt? Nova non est brachii *paralysis* ab induratis axillarum glandulis, neque insolens a longo decubitu gangraena. Prolyxus nimis foret sermo, si in animo nobis esset omnes harum affectionum caussas enumerare, et curandi modum prosequi, qui singulis convenit; his supersedentes de generalibus obstructionum fontibus verba faciemus. Caussa obstructionis in vasa saepe refundi debet, in humores saepissime, in utrisque non raro. Ad vasa quod attinet, angustiae, et compressionis, aeque ac obstructionis caussae communes sunt; par ergo esse debet curandi ratio. At si ab humoribus enascitur caussa obstructionis, in hanc probe animadvertere oportet, num a tenacitate, densitate, cruditate, acredine: victus, vivendique ratio, coeli temperies, morbi praegressi, haereditarii rem illustrabunt. Incrassantia, acria alimenta lentorem humoribus conciliare, cruditatemque explorata res est: ab aëre frigido, humidoque perspirationem imminui, prohiberi:

a deperdito hujus aequilibrio multigenos morbos acutos, chronicos, et in aliquo viscere stasim, seu congestionem sequi satis abunde probant incolae regionum, quas perflat aër frigidus, et humidus. Quandoque morbo praegresso, improvvido sex rerum non naturalium usui tribuenda est obstructionis caussa: alias a glutine spontaneo gignitur, cui adstipulatur acre, vel ex mera, vel ab aliqua praecipua cachexia suscitatum, praesertim, si languida vis vitae accedat, et salivales humores, speciatim bilis saponacea non gaudeant indole, una cum frigida, et humida aëris temperie. Ab his sponte fluit congeries viscidae materiei, in universo corpore, aut quibusdam in vasis, vel visceribus diu remorans, quae oppilationi sternit viam; qua de re apposita contraria medendi methodus requiritur, ne, quod saepe usuvenit, a mera obstructione tumores *scirrhosi*, *sarcomatosi*, *cystici*, *anomali* sobolescant. Selectus cibi, et potus praecipuus est curationis cardo, qui rite fermentati laudantur: aër tenuis sit, salubre coelum, apricum, moderate calidum, nec nimium somno concedatur, aut vigiliae: par sit viribus corporis exercitium, equitatio, vectio suam quoque conferunt symbolam: abigantur animi pathemata. Dein in solventibus, aperientibus, et illis, qui *lixiviosa*, *saponacea* vi prae-

dita sunt, spes reponenda est: nec non, si praesens est indicatio alvum movendi, in eccoproticis, quum fortiora, dum tenuiorem exprimunt liquidorum partem, quod superstes est, tenacius reddant: interea si a vera spissitudine quidpiam alienum assequitur, re bene perspecta eo curandi methodus dirigatur. De contractione, ossificatione, fibrae raritate, tenuitate, densitate, crassitie supervacuum puto sermonem facere, quum prolata horum aetiologiae, et curae sufficere videantur. Innumeris morbis a situ oriundis, aeque supersedere credimus, spartam hanc illustribus Chirurgiae Auctoribus committentes, qui quavis arte confragosum iter explanarunt, et superandis difficultatibus quotidie laborem impendunt.

IX. Sed jam ea stylo contracto perstringamus, quae ad praeceptum attinent, *similia similibus esse conservanda.* Porro ut eversio morborum contrariis praesidiis obtinetur, ita, quum nihil movendum est, expellendumque, similia similibus conservanda sunt. Quonam modo oeconomia animalis tot disparibus corporis alendis partibus solidis, fluidisque cibos, potusque distribuat, digerat, separet, in tenebris adhuc latet, sicuti dies hucusque neminem docuit, quonam pacto ex alimentis mirae dissimilibus blandum, necessarium humorem *chylum*

dictum natura eruat, huncque ad individuas partes distribuat, et similia similibus adjungat. Quae cum ita sint, mentem ad ea convertemus, quorum notionem assequi a posteriori concessum est. Functionum laesio morbum ponit, harum conservatio tuendae sanitati unicum remedium est. Functionum integritas ab idonea copia, et qualitate fluidorum deducitur, a debita vi partium solidarum, et ab aequa spiritus nervosi secretione. Primum igitur quaerenda est victus, vivendique ratio, quae his possit supplere conditionibus, dein consuetudini, et praecipuae uniuscujusque naturae consulere oportet, quae saepius Medicum edocet de iis, quae cuique similia sunt; quapropter providus rerum non naturalium usus, *consuetudo, idiosyncrasia*, rite pensitanda sunt. Tantam habet in corpus agendi potestatem consuetudo, ut alterius naturae nomine insigniatur. Theophilus Bonetus historiam refert hominis cloacas verrentis, quem aegrotantem a suaveolentibus, consueti foetores ad sanitatem restituerunt. Ipse puerperam novi matronam male se habentem ex aqua chamoemeli, refectam a fragrantissima aqua florum aurantiorum, odore moschi, similibusque. Agricolae pane gregario, et pulte pasti vegetam ducunt vitam inter labores improbos, imbecilli fiunt, si exquisitis dapibus

vescantur. Sanitas, vel constans est, vel in periculo versatur, aut morbo evertitur; constans nedum similibus conservanda, sed ab excessu, vel defectu cavendum est. *Sanitatis studium*, inquit HIPPOCRATES, *est vesci citra securitatem, non refugere labores; homo edens sanus esse non potest, nisi etiam laboret.* Porro valetudo restituitur usu remediorum, quae morbo contraria sunt, tum praesidiis *appositioni*, vel *ablationi* idoneis. Ad ablationem quod spectat, auxilia medica, et chirurgica sufficere puto in superioribus prolata. De *appositione* itaque in praesens verba faciemus: potiorem hujus partem in congruo cibi, potusque delectu, quantitate, qualitate, et exhibitione sitam esse penes omnes in confesso est: saepe in appositione substantiae seliguntur nedum cibi, sed pharmaca, quae, si cardiaca excipias, extrinseca sunt, quam ob caussam *sarcotica*, *glutinantia* vocantur. Etsi C. CELSUS monuerit, initia morborum famem, et sitim desiderare, dijudicamus tamen summum Virum non de omnibus morbis indiscriminatim hoc monitum tradidisse, sed de morbis acutis, aut illis, qui a cruditatibus, repletionibus fiunt, a nimia videlicet cibi, et potus copia, vel ab imminuta, aut suppressa quadam naturali evacuatione. Aequa *appositionis* norma metienda est a vitalium

virium robore, a caussae morbosae genio, et conjunctis omnium functionum oeconomiae animalis, qua in re, ne decipiamur, discriminis ratio inter vires oppressas, et vere debiles habenda est, ut alibi dictum est. Antequam vero de victus in morbis quantitate disseramus, de qualitate quaedam praemittere juvat, quum ab hujus varietate, quantitas, tempusque oblationis metiri possint, ac debeant. Sunt alimenta crassa, et plena, quae firmum cibum, et liberalius nutrimentum suppeditant: alia sunt tenuia, exque liquidis, et dilutissimis substantiis vix nutrientibus parantur: sunt tandem, quae mediam possident consistentiam, magisque nutriunt; hinc enata est diaetae divisio in *crassam*, seu *consistentem*, *tenuem*, et *mediocrem*. Communis est Practicorum consensus, in morbis acutis dandum esse victum tenuissimum, et nonnisi finitis, aut citra recidivae metum paullo pleniorem exhibendum; at si de morbis longioribus sermo sit, paullo plenior erit diaeta. Verumtamen tutius incedet, qui aegrotantis temperamento, aetati, consuetudini etiam consulit, ea semper cautione, ut ab HIPPOCRATIS monito numquam declinet, inquientis: *impura corpora quo magis nutries, eo magis laedes.* Lex contrariorum Clinicos monere debet de alimentorum qualitate; dum enim haec sub-

stantiam adjiciunt, morbosae quoque materiei emendationi remedio esse debent. Quapropter victus subacidus in morbis, et constitutionibus ad alkalescentiam pronis praeferendus est: attenuans in humorum lentore, ac densitate: humectans in aestuosis, biliosis temperamentis: quae exsiccant, fibrarum contractilitatem adaugent, morbis opem ferunt, et temperiebus a pituitae colluvie, et solidorum laxitate natis. Opportunitas etiam non spernenda est exhibendi alimenti; in cujuslibet febris accessione, et stadio tenuissimum sit oportet (quod, si de febribus periodicis sermo est, ne quidem rigoris tempore admittendum est): in decremento, prudenti habita naturae morbi ratione, rarius, aut plenius administrabitur, neque promiscue, ut in more positum est, sed statis horis renovandum, ni huic normae functionum vitalium conditio, vires stomachi, vel aegrotantis aptitudo contraindicent. Tandem experientia, observationes, et auctoritas evincunt, quanta opus sit circumspectione in morbis acutis, peracutis, et acutissimis; error namque tristissimos ut plurimum sortitur effectus, saepe inemendabiles. Initio horum morborum celerrime juxta indicationes in usum vocanda sunt praesidia, in aliis stadiis naturae viribus consulere oportet, sique subactionis, coctionis, crisis instant

signa, uti cum pharmacis, ita cum alimentis religiose mercandum est. Longe aliter se res habet in morbis lentis: pertaesi remediorum, regiminis aegroti omnia tunc renuunt Medici consilia, sibique suadent satius esse omnibus valedicere: at quum Poëta dixerit *omne tulisse punctum, qui miscuit utile dulci*, prudens, et sciens Medicus blando sermone (quum tantum non subsit, ut in acutis, periculum in mora) a proposito aegrum removere conabitur, et ratiocinio se in remediorum necessitatem immittet, necnon congruae diaetae, quam si fastidiaverit, minus aptam in hujus locum sufficiet. Quaestiones a multis exagitatas silentio premimus, an scilicet in morbis acutis nullus potus sinendus sit, an prima tantum die, an largus toto morbi curriculo, an frigidus, calidus, vel tepidus: mehercle inconsiderata erit in universum responsio, et arti rationali repugnans; multa namque veniunt perpendenda, genius morbi, vis, aetas, temperamentum, coeli constitutio, consuetae unicuique morbo crises, idiosyncrasia, quod praeceptum toties, et jure in his animadversionibus repetitum est.

APPENDIX.

Commentationibus hucusque traditis quaedam generalia monita adjicere visum nobis est, ut ars, quam sanctissimam sua benignitate ad aegrorum solatium paravit supremus rerum Auctor, quaeque inter caetera Numinis beneficia par forte non habet, in ipsorum utilitatem tutius exerceatur. Extra omnem dubitationis aleam positum est, multa, et sane praecipua observari in morbis, ex quorum adaequata notione dimidiam curam, qui bene coepit, habet. Quilibet sane morbus a quacumque caussa suscitatus propriis stipatur symptomatibus, quibus a quolibet alio distingui possit: haec symptomata illa sunt, quae a Practicis *essentialia*, seu *primaria* vocantur. At saepe evenit, ut in obscuris morbi natura sit, et, si *fortuitis*, vel *adventitiis*, ac *temporariis*, ut loquuntur Practici, symptomatibus tantum adhaeremus, a vero distemus; perquam sedula igitur sit inquisitio in primaria, seu essentialia symptomata, ut ab horum collectione signum eruatur *pathognomonicum* diagnosi, prognosique instituendis necessarium. In commentariis tradita sunt signa cruditatum, coctionum, crisium, exituumque a sanguine, sudore, excretis petenda. Haec porro signa, quamvis non neces-

saria, spernenda attamen non sunt, quum sint totidem naturae conamina virium conditionem significantia. Hinc Pathologi distinctionem faciunt inter *symptomata caussae*, *morbi*, et *symptomatum*. Utilissima sane est haec distinctio, ne, quod usuvenit, nisus a mutua partium conspiratione suscitati pro morbo illico habeantur. Id passim suadent in morbis motus spasmodici, febris adaucta, vomitus, haemorrhagiae, alvi fluxus, sudor, abscessus, inquietudo, pulsus inaequalis, intermittens, aliaque hujusce farinae multa, quae quum saepe sint providi naturae motus, non illico turbandi sunt remediis inutilibus, aut noxiis. Scientia nostra eo semper dirigenda est, ut vires arcendis morbis pares conserventur; presso itaque pede naturae operanti adesse fas est, videndumque, juxta HIPPOCRATIS effatum, *quid natura faciat, aut velit*: ita medendi ratio non vana erit, aegris nocua, neque incertis suffulta legibus. De caussa morbi sollicitus sit Medicus, non de symptomatibus: quum omne id, quod in actionibus a sano naturae instituto declinat, morbus semper sit. Qui promiscue caussam morbi, hujusque effectus considerat, incertam, temerariam, potius quam veram thaerapejam profitetur; re enim vera sanatio eorum, quae a statu sano aberraverunt, in integrum postulat restitutionem:

haec vero ab accurato phaenomenorum examine pendet, quo morbi caussa detegi possit; proinde a vera praxi recedere censendi sunt illi, qui in effectus tantummodo inquirentes, caussae, quae hos gignit, aequam non habent rationem: *origo symptomatum*, inquit Hoffmannus, *in potestate caussae sita est.* Primi subsellii Practici his in circumstantiis malunt potius remediis supersedere, persuasum habentes patratum errorem mille aerumnarum fontem esse posse. Satius est, inquiunt, ea in usum vocare, quae si non proderint, saltem non noceant: interea fidele, accuratumque scrutinium pleniorem affundet lucem texendae curae non symptomaticae, sed eradicativae.

Symptoma illud est praeternaturale, quod in morbo a caussa sic evolvitur, ut tamquam effectus ab ipsa distingui debeat: effectus ita appellatur symptoma, quum incidat morbi tempore, propterea ab aliis effectubus distinguendus, qui morbi pedissequi sunt, ut phthisis post acutam pectoris inflammationem, hydrops a quartana, etc. At notare juvat non raro symptomata, quae prima fronte secundaria videntur, ita exasperari, ut primaria fiant, inque vitae discrimen aegrum conjiciant: tunc a dogmatica medendi methodo declinandum est, urgentiorique succurrendum, summa semper cautione, quum quae morbo vincendo idonea videntur,

paria quoque esse possint superandis symptomatibus. Novum enim non est hos effectus secundarios saepissime fugaces esse, et brevi cessuros: huc spectat divini Senis effatum: *non secundum rationem non levantibus fidere non oportere, neque timere mala praeter rationem orta; multa enim illorum incerta sunt, neque multum perdurare, neque diutius morari consueverunt.* Ut vero moniti hujus veritas magis elucescat, tempus, sive stadium morbi considerare oportet, quo symptomata emergunt: haec si tamquam signa subactae materiae morbosae sese prodant, crisis praenuntia sunt; hinc a culpa non erit immunis Medicus, qui intempestivo remedio naturam agentem interturbaret sedandi scopo. Longe aliter se res habet, quoties aliquod symptoma saevit initio, incremento morbi, et eo pervenit vehementiae, ut aegri vitae insidias agat: tunc prudentis erit Medici ad ea confugere, quae nimios motus, aut profusas evacuationes moderentur. Omnibus Practicis crises notissimae sunt, quae per cutim, alvum, aut urinae vias succedere solent in decremento febrium acutarum: nemo sane non nescit harum tristissimum omen, si in primis febris diebus appareant, neque ignorat quantocius esse compescendas. Evolutio morbi, hujusque decursus praecipuam sibi vindicant consi-

derationem; prima, secunda die pulsus saepissime exploratur debilis cum virium dejectione, quibus vincendis nil praesentius est sanguinis detractione. At si haec cum pulsu exili post subactam materiem explorabitur, qui in restaurantium locum evacuantia suffecerit, certissime errabit. Summa opus est dexteritate, et diligentia, ne aliena curatio confusionem pariat, invertatque morbi curriculum, atque salubres naturae conatus perturbet: oportet igitur, quum cuidam symptomati occurrendum est, semper prospicere caussae, ne huic, dum prodesse satagimus, noceamus. Exemplum sit *hydrops*, quem sitis inter caetera inexplebilis comitatur: prudentis est hanc fallere meliori, quo fieri potest, modo. Interea serum stagnans in *alkalescentiam* quotidie pronum febrim exsuscitat, cum siti non ferenda: qui hanc, et indolem humoris copioso potu lenire, corrigere tentabit, incidet in *Scyllam*, dum *vult vitare Charybdim*; colluviem enim serosam adaugebit, et hydropem confirmabit.

Stadium quoque morbi multi faciendum est, ne errores in cura symptomatum inconsulto committantur. Et sane, quum non idem sit omnium febrium initium, ita ut in acutissimis brevissimo temporis intervallo ad summum vigorem ascendat, gradatim increscat in aliis

speciebus; ab hoc discrimine metiri potest necessitas leniendi, sedandique quod incongruum videri potest, ne sibi relictum in primo casu magis laedat functiones, in altero, infractis viribus, necessarias perturbet mutationes, a quibus, aut bonae crises disponuntur, vel malae, quum morbus non raro sedem mutet, ac malignior hujus indoles evadat. Haec epiphoenomena passim notantur in morbis cutaneis, puta variolis, morbillis, scarlatina etc.; spasmi enim bonarum crisium saepe sunt prodromi, neque efficaci remedio illico supprimendi; incipiente namque eruptione, paulatim sedantur, et hac cum euphoria progrediente, sponte evanescunt. Haec, ni fallimur, satis evincunt quanti facienda sit caussa in morborum principio, et in remediorum exhibitione. Neque aliter sentiendum esse credimus in incremento, et statu, eo vel magis si consideremus phoenomena hoc stadium comitantia, quae partim a morboso fomite fiunt, partim a vitae viribus, quae adventante morbo quodammodo devictae, totidem cient conatus naturae viribus erigendis idoneos. Ad statum quod attinet, notare juvat praecipuum curae cardinem naturae medicatrici committendum fore. Communis est Medicorum opinio, annuentibus experientia, et observationibus, oeconomiam animalem nec victu, nec medicamentis esse tur-

bandam : in hanc, quo vergat, animadvertere: quas moliatur mutationes, evacuationes, metastases perpendere, ut quid agendum sit, non differatur. Post morbi vigorem natura saepe morbum superat absque sensibili evacuatione, alias ad loca a vitae fontibus dissita amandat morbosum fomitem, quandoque ad viscera vitalia ipsum deponit: id si eveniat, totis viribus extemplo enitendum est, ut internis, externisque remediis ad partes ignobiles alliciatur.

Cogitanti mihi caussas, quae arti nostrae saluberrimae adversantur, hancque, ut ita dicam, injuria afficiunt, minusque potentem reddunt, praecipuas esse dijudico nimiam in praescribendo facilitatem, remediorum farraginem, praeceps, et acre nimis studium pro specificis, horum propterea improvidum usum, et quod caput est, nondum experientia, observationibus satis probatum agendi modum. Porro medicinam cum laude, et aegrorum utilitate is profitetur, qui, nulla praeconcepta opinione ad aegrum accedat, apprime consideret functionum laesionem, et a signis concludat, qui sit a sanitate recessus, perpendatque num natura morborum medicatrix viribus polleat ferendo morbo idoneis, an artis praesidio indigeat: quo in casu, ni urgeat necessitas, medicina per expectationem festinationi substituat, intereaque attento animo morbi mu-

tationes prosequatur, ut iis, quae de novo emergunt, opportune prospiciat. Alta mente repositum habeat Medicus, signum *pathognomonicum* a collectione deduci omnium signorum, ut dictum est in superioribus; inter haec plurimi facienda sunt facies, hujus color, visus, lingua, cutis, halitus, vires musculares, decubitus etc.: haec enim cum primariis symptomatibus praesagio dant locum saepe non ambiguo. Ab his assequitur quanti momenti sit adamussim omnia pensitare, quanta in praescribendo requiratur maturitas, et circumspectio, ne providae infringantur naturae vires, a quibus valetudo servatur, morbique profligantur. Et sane quemadmodum propriis viribus corpus alimenta concoquit, sibique assimilat, facultate sua nutriente materiem extraneam suis usibus appropriat, inque perpetuo hujus materiei fluxu, ac mutatione sese incolume tuetur: ita spontanea gaudet facultate, morbosa temperandi, subjiciendi, ejiciendique; mirabile hujusce vis exemplum suppeditat inimitabile a Chirurgis artificium, quo fracturas redintegrat, vulnera consolidat, ulcera resarcit. Anne crises contrarium evincunt? Febris inter morbos frequentissima est, a qua multum boni non raro sperandum est, quum saepe remedio sit, et symptomata, quae ipsam initio comitantur prima fronte

gravia paullatim sedentur, succedantque inopinatae crises. Quae cum ita sint, jure carpendi sunt illi, qui praecipiti judicio ad decretoria remedia illico confugiunt, simplicia, quibus saepe contenta est medicina, despicientes. Experientia testis est motuum automaticorum, irregularium, qui tamen, inscia mente, ad salutarem finem diriguntur; ac nemo, qui sanus est, ignorare potest, partium, facultatumque consensum esse adeo mirum, ut nec ulla arte imitari queat, nec sociis illarum viribus imminens, praesensque morbus resistere possit. At percipi nequit illa mentis propensio, quae caeco instinctu vires voluntati subditas ad eos motus spontaneos determinat, quibus excitat rerum infensarum aversationem, vel utilium desiderium, nec absque emolumento, quum saepissime morbi imminentes avertantur, aut, qui validioribus naturae conatubus forent refractarii, penitus vincantur. Assuetudo, quam alteram naturam dicunt, proposita, ni fallor, confirmat: cur innocua reddit uni, quae alteri non adsueto nocent, nisi imperium admittamus naturae, quae sibi assimilat modo, qui nulli arti concessus est? Alpium incolae nulla ope medica adjuti ad senium usque perveniunt incolumes; inter hos, qui morbo corripiuntur, solo naturae ductu, si excipias simplices ptysanas, perfecte convalescunt: qui aequus haec

considerat, inficias ire non poterit praecipuum artis medicae fundamentum in ipsa hominis natura consistere, ita ut hac repugnante, vel deficiente omne medendi conamen irritum sit. De hac veritate satis abunde nos edocent ab ortu medicinae ad haec usque tempora naturae ministri, qui presso pede huic adhaerentes, aurea nobis monita tradiderunt, inter quae sequens primum occupat locum: *videndum quid natura velit, aut ferat: neque intempestiva remediorum multitudine obruenda est.* Ab his inferre juvat, quanto in errore versentur illi, qui firmioris valetudinis tuendae caussa, postulantibus remedia propinant, quum nil magis officiat stomacho, et universo nervorum, vasorumque systemati, quam substantias acres, stimulantes, vel et debilitantes intrudere. Cur delicatuli firmiorem ab his sanitatem sibi pollicentes debiliores continuo evadunt? Naturae instituto parendum est, neque Medicus in arcendis malis annosis, aut insitis arbiter esse potest: tristissimum praebent exemplum, qui haemorrhoidum, podagrae, veterum ulcerum pertaesi! nil intentatum relinquunt, ut ab ipsis liberentur: ecquid! vitam cum morte commutant. Huc referendae sunt curationes prophylacticae, quas multi de more, non morbo coacti, inscio Medico, amant instituere verno tempore, firmioris valetudinis adi-

piscendae caussa, non parcentes sanguinis missionibus, et repetitis purgationibus: horum pace haec sollicitudo eo tendit, ut aequa perturbetur oeconomia animalis, et corpus servituti quotannis adjiciatur. Inter infortunia arti nostrae infensissima superius enumeravimus nimiam quorumdam in praecipuum remedium propensionem, quam tantam fovent, ut remedium, quod praediligunt, *catholicum* appellare nulli dubitent. Passim sane nonnullos audimus, qui in deliciis habent chinam-chinam, dum alii sunt strenui ejusdem osores: a quibusdam praedicantur sanguinis missiones, quod quidem remedium penes multos est noxium. Quot ad sidera extollunt opiata, et plantas stupefacientes? Neque desunt, qui simplicia spernentes, solis remediis fidem adhibent processu chemico praeparatis. Mehercle haec sunt de mente G. BAGLIVI idola, a quibus, ut inquit, cane pejus, et angue cavendum est, quum ea, quae longaevus usus, auctoritas, et observatio detexerunt, confirmaruntque, oblivioni tradant, summo et artis, et aegrorum detrimento. Hic cogitandi modus ad ventosum agyrtam, malum sutorem pertinet, non ad Medicum rationalem. Re enim vera, quum partium contentarum, continentiumque contextum tam varium sit, quot sunt viventium individua, sponte fluit nullum adinveniri remedium, quod omnibus aegrotantibus

aptari jure possit; huic enim nocebit, proderit alteri. Vera igitur medendi ratio postulat, ut cujuslibet morbi caussa proxima, symptomata, necnon idiosyncrasia adamussim considerentur, ut toties in superioribus dictum est. Tanta est hujus indaginis necessitas, ut, hac non obstante, uno ore fateantur prudentiores, per quam facile errari posse in remediorum exhibitione; non enim omnia quidem bechica indiscriminatim conveniunt morbis pectoris, cephalica capitis morbis, spasmis opiata, specifica febrifuga omnibus febribus. Ex hoc enata est partitio medicamentorum in classes, quae communi vocabulo insigniuntur, sudoriferorum, aperientium, diureticorum, resolventium, incrassantium etc., quae praecipuo agendi modo agunt incognito. Quapropter, qui in idiosyncrasiam sedulo non animadvertet, in proximam morbi caussam, in symptomata, morbos praegressos, connatos, aut gentilitios, hic sciens, et prudens remedium morbo aptum accommodare ne poterit? At notare juvat majus imminere periculum a specificis inopportune propinatis, quod verendum non est ab aliquo extracto, alioque non decretorio pharmaco. Cautissime agendum est cum sanguinis missionibus, cum purgantibus, emeticis, chinachina, mercurio. E longe absint praejudicata opinio, et systemata. Exempla rem illustrabunt.

Cortex peruvianus remedium est, quod nobis summa benignitate largitus est supremus rerum Conditor, exploratissima est hujus virtus, quam analysis chemica subadstringentem, roborantem probat, etiamsi alii huic cortici vim tribuant resolventem ex ipsius amaritie. Certum hic sistit, exploratumque remedium adversus omnes febres legitimas periodicas, sed non est ab exceptionibus immune: ut enim rationalis sit ejus administratio, diligens, exacta praemitti debet disquisitio in febris originem, caussas antecedentes, occasionales, anni tempestatem, signa a primis viis, quandoquidem si ab impuritatibus foveatur febris, primas, quod non raro evenit, vias infestantibus, nemo dubitat evacuantia palmam chinae-chinae praeripere. Idem esto judicium, si imminutus, aut suppressus cutis halitus, aut rheuma locum dederint febri: centies mihi, et felicioribus Practicis contigisse fateor sanguinis eductione hanc expulsisse, dum ab usu febrifugi saeviebat in dies magis. Neminem fugit, cur opprobrium Medicorum *quartana* nominetur, si hujus caussam proximam inertem, et crassam consideret, cui vincendae par non est china-china, sed remedium amarum, solvens, refracta dosi, et aliquot ad dies protracta recentis corticis ipecacuanhae, aut radicis asari commixtum. Experientia constat cum in hac

febre, tum in aliis speciebus febrium intermittentium, si quidpiam lateat eterogenei, praecipue lenti, praeposterum hujus antidoti usum nedum has febres exasperare, sed degeneres humores, in dies magis evadere, solidorum tonum deperditum iri, et morbis lentis, ut plurimum artis molimina superantibus, viam aperire. Ex adverso illi peccabunt, qui, nullis contraindicantibus, a prompta febrifugi praescriptione abstinent, erronea freti opinione enasci ab hoc obstructiones, infarctus, quum haec secundaria mala in debilitatem solidorum, et tenuioris humoris dissipationem a repetitis accessubus nata refundi jure possint.

Neque minores habendae sunt circumspectiones, quoties agitur de venaesectione, emeticis, purgantibus. Verissimum est sanguinis missionem princeps esse remedium in morbis acutis, praesertim febribus, in plethora, aestu morboso; *at caveant,* inquit Vir summus Lieutaud, *qui pessimo more numerosioribus venaesectionibus indulgent, ne alios morbos misellis aegrotantibus lugendos promoveant*! Eximii Archiatri vestigiis inhaerenti mihi fas sit etiam addere: caveant illi, qui in quocumque febris acutae stadio nil timent a sanguinis eductione, nulla habita spontanearum morbi in melius mutationum, speciatim virium ratione, a quibus

illae praeparantur, et modo critico aegritudini finem imponunt: *deficiente namque, quod usuvenit, inter solida, et fluida consensu imparia videntur viscera demandatis muniis rite adimplendis, quae in perpetua continentium, et contentorum reciprocatione versantur*, verba sunt Auctoris mox memorati. Haec satis probant quanti facienda sit diligens, et cauta in caussam, omnia symptomata, et stadium morbi animadversio, ut cita, et tuta sit therapeja. Sed si carpendi sunt laticis sanguinei profusores, quid de illis affirmabimus, qui ducibus Erasistrato, Helmontio, horumque asseclis, in morbis acutis, inflammatoriis sanguinem numquam mittendum esse impavidi decernunt? Injuriosum nobis esset, si tempus hisce inanibus rationum momentis impenderemus; sit satis cursim adnotare; 1.° quonam pacto miserrimus aeger acuto morbo oppressus possit sese dedere exercitio; 2.° paradoxum esse penes Practicos purgantia propinare in morbis acutis inflammatoriis, neque superficietenus rebus perpensis, ad emetica confugere; 3.° perquam praeceps morbus, et periculo plenus admittere convenientem sanguinis imminutionem diaetae auxilio, quod lente admodum obtineri potest, sunt deliramenta, quae systematicos invadunt. Rem definire debent morbi

magnitudo, hujus caussa, viriumque robur, temperamentum, regio, coeli constitutio. Re enim vera, si aequam, et tutam velis sanguinis detractionem instituere, vires aestimandae, quae certis comprehensae sedibus universo corpori prospiciunt: has intelligo vitales, naturales, animales; ab his metitur mittendi sanguinis necessitas: haec cunctae sunt vitae custodes, ab his perspectis conjici tuto possunt num tenax vigilia, nervorum ataxia, sopor, mentis alienatio, imbecillitas functionum vitalium, a pulsu, respiratione, hebetudo functionum animalium, aut excrementorum cruditas argumenta sint verae debilitatis, an gravaminis, quod morbus fovet, ut in commentariis superius notavimus. Itaque alta mente tenendum est praeceptum ab eximiis Practicis, HIPPOCRATE duce, unanimi consensu firmatum, *tunc esse agendum*, *quando praesens est indicans*; indicans vero ab omnibus viribus, et circumstantiis colligere oportet, procul sepositis praejudicatis opinionibus. Unum superest pro coronide monitum de nimis facili purgantium praescriptione, ita ut non pauci aegrotis in sanitatem restitutis valedicere nesciant, quin curam absolvant purgante pharmaco. Nemini non obvium est principia, quibus constant purgantia, exstimulantia esse, propterea vires stomachi ab exanthlato morbo non parum fractae

ulteriori stimulo dejiciendae non sunt. Nemo nescit succedanea purganti medicinae epiphenomena nauseam, mordacem aestum, inquietudinem, sitim vix coërcendam, non raro animi deliquia, majorem virium exsolutionem; purgantis pars sanguinis viam subit, stimulo suo oeconomiam animalem, quae in bonam jam frugem revocata est, denuo turbat. Quantis etiam difficultatibus premitur emeticum usus, ut alibi dictum est? Hinc, ne crambem repetamus, supersedemus, id unum monentes, Medicinam tum in morborum diagnosi, ac prognosi instituendis, tum in propinandis remediis, ac praescribendo regimine, totam prudentiam esse debere.

V. Tosi Revisor Archiep.

V. Sacchetti Facult. Med. Praes. et Reg.

Imprimatur

Bessone pro M. Cancellaria.

INDEX

III.

ravi adeo inspecta Baptismatis necessitate, suffragante etiam A
tione, Ecclesia Catholica pueros nondum usu rationis pollent
consuevit; quod nedum fas esse, sed vel maxime expedire co
Nec tamen licet infidelium filios adhuc usu rationis carentes
nvitis baptizare: quod de illorum infidelium infantibus intelli
aut liberi sunt, aut civiliter tantum serviunt, aut patria non ex
state.

IV.

uamvis baptizandi solemni ritu ordinaria potestas solis competa
bus, extraordinaria vero solis Diaconis; ambigendum tamen
necessitate cogente valeant etiam quicumque de populo sive
foeminae, sive fideles, sive infideles, sine solemnibus cae
tismum conferre; in quo profecto summam Domini nostri boni
entiam licet admirari, qui in Sacramento tantae necessitatis, u
is ad vitam spiritualem regeneratio, *instituit, ut et materia
is, scilicet aqua, quae a quolibet nullo negotio haberi p
ister etiam sit quicumque non ordinatus, ne propter
tismi homo salutis suae dispendium patiatur* (8).

V.

raeter gratiam, et characterem alii sunt, iique praestantissim
tismi, quibus ex ordine recensitis, *vides*, inquit S. Joannes
nus, *quot sint Baptismatis largitates. Et nonnulli deput
em gratiam in peccatorum tantum remissione consistere*;
honores computavimus decem (9). Illos nos ad duo capita re
ra Novatores ostendimus: 1.° per Baptismum non tantum teg
utari, sed funditus deleri omnem sive originalis, sive personali
n praecedentis culpae reatum; 2.° omnem etiam per Baptisn
i sive aeternae, sive etiam temporalis poenae reatum. Hinc per
Baptismum Christi Joannis Baptismo longe praecellere. Siquid
us Joannis homines tantum ad poenitentiam adducebat, sed n
pse per se, ac virtute sua peccatorum remissionem, et justitiam